Tum quoq; materiam fabricandis nauibus aptam,
Incipias quarta naues sarcire uetustas.
Iam nonæ mediæ pars uespertina probatur,
Ac homini innocua est, quæ nona est ordine primo,
Confert & plantis, tum fœmellisq; uirisq;
Gignendis simul est felix, nec inutilis unquam est.
Sed latet hoc multos, quod sit penultima mensis
Optima, seu reserare uelis uas, seu iuga dura
Bobusq; & mulis & equis annectere collo,

Seu tibi si placeat nauem deducere in altum,
Nanq; datum paucis discrimen noscere uerum.
Vasa aperi decima quarta, nam prae omnibus haec est
Sacra dies, post uicenam, quae solis ad ortum
Est bona, ad occasum mala, laudant pauci alias hinc,
Iamq; dies aliae felices atq; benignae,
Contrà aliae ancipites, sunt & uirtute carentes,
Et laudant alias alij, est cognitio paucis.
Saeua nouerca dies nunc est, nunc mater amica.
Is felix ac prosper aget, qui haec omnia seruans,
Sic uitam instituat, Dijs inculpabilis ut sit,
Auguria obseruans nec quicquam spernere tentans.

HESIODI OPERARVM ET DIERVM FINIS.

Νῆα πολυκλήϊδα θοὴν εἰς οἴνοπα πόντον
Εἰρύμεναι, παῦροι δὲ τ' ἀληθέα κικλήσκουσιν.
Τετράδι δ' οἶγε πίθον, περὶ πάντων ἱερὸν ἦμαρ
Μέσση. παῦροι δ' αὖτε μετ' εἰκάδα μηνὸς ἀρίστην
Ἠοῦς γινομένης, ἐπιδείελα δ' ἐστὶ χερείων.
Αἱ δὲ μὲν ἡμέραι εἰσὶν ἐπιχθονίοις μέγ' ὄνειαρ,
Αἱ δ' ἄλλαι μετάδουποι, ἀκήριοι οὔτι φέρουσαι.
Ἄλλος δ' ἀλλοίην αἰνεῖ, παῦροι δέ τ' ἴσασιν.
Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.
Τάων εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, ὃς τάδε πάντα
Εἰδὼς, ἐργάζηται ἀναίτιος ἀθανάτοισιν,
Ὄρνιθας κρίνων καὶ ὑπερβασίας ἀλεείνων.

Ἡσιόδου ἔργων καὶ ἡμερῶν τέλος.

VLPII FRANEKERENSIS FRISII CVRSIM ANNOTATA IN HESIODVM.



Vm tria sint genera poëmatis, δραματικὸν, ἐξηγηματικὸν, μικτὸν, secundus liber Hesiodi totus ἐξηγηματικὸς est, id est, in quo poëta ipse semper loquitur. Sic habent se & quatuor libri Georgicorũ Vergiliani, excepto fine quarti, ubi admiscetur fabula Aristæi. Primus liber Hesiodi maxima ex parte quoq; ἐξηγηματικὸς est, nisi quod introducatur Iuppiter loquẽs ad Prometheũ, ad Vulcanum, cæterosq; deos. Præterea recensetur fabella accipitris & lusciniæ, quare μικτὲ dici potest,

Μοῦσαι πιερίηθεν.) Non bene seruauit poëta noster legem prooemiorum: nam aut primũ proponendum est, deinde inuocandum, quod obseruant omnes ferè Latini: aut propositioni simul inuocatio immiscẽda est, quod in utriusq; operis initio facit Homerus, quem legẽ prooemiorum non solũ seruasse, sed aliis constituisse testatur Quintilianus. Hesiodus autem à nuda inuocatione auspicatur. Et sciendum quod bis inuocet, primum Musas, deinde ipsum Iouem, ibi scilicet, κλῦθι ἰδὼν ἀΐων τε. Verum quantum ad hanc rem attinet, non inutile fuerit consulere Erasmum super Nucem Ouidianam.

Μοῦσαι.) Dores et Aeoles dicũt μῶσαι, quibus

fami

familiare est uertere ου in ω. Hinc appellatas uolunt eas à uerbo μῶ, quod est quęro, inuestigo, nam inuestigãdo disciplinas assequimur. Quæ ratio etsi non planè inepta uideatur, miror tamen cur uersa sit ω in ου, & communi lingua dicamus μοῦσαι, non μῶσαι. Adfert aliam rationem Plutarchus, forsitan probabiliorem. Is enim in commentario περὶ φιλαδελφίας, dicit μούσας nominatas ut ὁμοῦ οὔσας, idq́ꝫ διὰ εὔνοιαν ἀεὶ καὶ φιλαδελφίαν, quæ scilicet uiuũt in perpetua quadã beneuolentia et mutua charitate. Et ut meã quoque afferam sententiam, id fortasse habent nomen, quod Musę, hoc est, artes & disciplinę, tali inter se cognatione & nodo cõiunctæ cõglutinatęq́ꝫ sint, ut altera ex altera pẽdeat, & altera sine altera manca sit. Sed adscribam uerba ipsius Plutarchi: ὁ δὲ Ἡσίοδος οὐκ εὖ παραινεῖ μουνογενῆ παῖδα τῶν πατρώων ἐπίκληρον εἶναι, καὶ ταῦτα τῶν μουσῶν γεγονὼς μαθητὴς, αἳ ὁμοῦ διὰ εὔνοιαν ἀεὶ καὶ φιλαδελφίαν οὖσαι, οὕτως ὠνόμαζον μοῦσαι. Locum, quem hic citat ex Hesiodo, obserua in calce primi libri.

Πιερίηθεν, construitur cum δεῦτε aduerbio hortantis. Musæ huc adeste ad me ex Pieria. θεν enim particula finalis de loco uocat. Poëtę interdum ν abiiciunt, ut λιβύαθε, pro λιβύαθεν. Theocritus primo Idyllio.

Εννέπετε.) Alterũ ν interiicitur propter metrũ, compositum uerbum ab ἔπω.

Υμνείουσαι.) Vide quàm rusticus poëta Hesiodus, quámque elegantię & gratiæ metricæ negligens,

gligens, cui primi duo uerſus ſunt duriſsimi, nempe ſpondaici. Longe ſcrupuloſiores Græcis in hac re ſumus Latini, cum tamen noſtra lingua ſit anguſtior.

Διὸς μεγάλοιο ἕκητι.) Reſponſio Muſarum. Sic apud Homerum, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. Subintelligitur hic γίγνεσθαι, aut ſimile uerbum.

Ρεῖα μὲν γάρ.) Ratio eſt interrogationis, quare alij ſint clari, alij obſcuri. Dicũtur hæc à Muſis.

Βριάει, & ſequentia uerba, nominatiuum habent Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.

Κλῦθι ἰδών.) Secũda inuocatio ad ipſum Iouẽ per periphraſim. Quæ hactenus dixit, tanquã præludium quoddam fuere, nunc ſerio inuocat, & proponit. Propoſitio eſt, Cupio fratri meo Perſæ alijsq́ꝫ tradere præcepta quædam, legesq́ꝫ bene uiuendi (hoc enim uocat θέμιστας) tu igitur Iuppiter adſis &c.

Θέμιστας ἀπὸ θεμὶς, triplicem habet genitiuum, ιδος, ιτος, ιος.

Οὐκ ἄρα.) Narratio.

Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.) Epiphonema interponit.

Κοτέει, φθονέει.) Verba hæc pertinent hic ad laudem: probat enim illam æmulationem artificũ, qua alter altero citius diteſcere conatur. Mira huius loci ſuauitas, dum artifices aliquot nominatim exprimuntur, putas enim te corã uidere eos concertantes. Quoties Eraſmus citat & explicat in Chiliad. loca ex Heſiodo, nõ diſsi

mulabimus, si fortè dexterius interpretaretur, ut ubiq; felicissimum ille agit interpretem. Vide igitur prouerb. figulus figulo inuidet.

Μηδέ σ' ἔρις κακόχαρτος.) Suprà in narratione duplicem posuit contentionē, bonā & malam. bonā breuiter laudauit, & utilem hominibus esse dixit: nunc malam fugiēdam esse hortatur.

Κακόχαρτος, id est, malo gaudēs. Nota aptissimū epitheton ἔριδος ἐπιμωμητῆς. Multi litigant in foro, non tam ut ipsi aliquid consequātur, quàm ut alios uexent et molestēt. Minime ociosa sunt epiheta apud Homerum & Hesiodum: quare hunc nostrū maxime in nominibus occupatū esse scribit Fabius. ὤρη.) Ionico more pro ὤρα scribitur sine aspiratione, & significat curā. Aetiologia est præcedentis adhortationis. Ille forum & litigium uitare debet, qui sibi non est conscius magnarum diuitiarum. Non absurdum fortasse fuerit legere ὥρη cum aspiratione, ut significet tempus, & sensus tum erit, Ille lites diu sustentare non poterit, cui non est bene instructa & opulenta domus. O quanti semper constitit comparere ante tribunal. Nil miror artem deglubēdi rusticos in nostris aduocatis, seu dicam, rabulis, quū illa tam antiqua sit, profecta ad nos ab ætate Hesiodi.

Τὸν γαῖα.) τὴν pro ἥν. Poëtæ postpositiuo articulo τ præponere solent, ubi exigit metrum.

Δημήτερος ἀκτήν.) Appositio est, ἀκτὴν à nominatiuo ἀκτὴς, quod idē est quod βίος, id est, uictus, cibus.

cibus. Δημήτηρ autē dicitur Ceres, quasi γημήτηρ, hoc est, terrę mater, mutata γ in δ. Eadem mutatio literarum apud Latinos: nam Ceres dicitur tanquam Geres, à gerendis fructibus è terris. Vide Ciceronē secundo libro de Natura Deorum, & Macrobij Saturnal.

Τοῦ κε κορεσσάμενος.) τοῦ pro τούτου. Articulus præpositiuus loco pronominis demonstratiui, sæpe apud poëtas ponitur. Metaphora est in participio κορεσσάμενος. Sensus est, si amplos habeas redditus annuos, litiga. sed ironice loquit̄.

Δωροφάγους.) Acre epitheton in iudices auaros, quique se nummulo corrumpi sinunt. Porrò singularū rerumpub. iudices, reges uocat, ut olim singularum ciuitatū pastores, episcopi nominabantur.

Ὅσῳ πλέον ἥμισυ.) Consule prouerbium, Dimidium plus toto, ubi omnia, quę ad hunc locum pertinent, adferuntur.

Κρύψαντες ἔχουσι) pro ἔκρυψαν. Est locutio Attica, per participiū aoristi primi & uerbum ἔχω.

Ῥηιδίως γάρ κεν καὶ ἐπ' ἤματι) Verba hæc per se obscuriora sunt: nos aliquot uersus ad uerbum reddemus, ut uideas sensus absurditatem. Non sciunt quanto plus sit dimidiū toto, nec quanta in malua & albuco utilitas: nam Dij uictum hominibus occultarunt. Facile autē in die laborasses, ut in totum annum haberes, licet uiuens in ocio &c. Nō minus hęc inuoluta sunt quàm oracula Loxiæ. Illustrabimus igitur pro

nostro

noſtro intellectu. Innuit poëta facilitatem uictus quęrēdi apud priſcos et primos homines, quam ſuo ſeculo abijſſe queritur. Illi non arabant, non ſeminabant, uno die tantum colligebant, quantū per totum annū erat neceſſariū. Erant autem frugaliſsimi, malua & aſphodelo contenti (nam per has herbas frugalitatē temperantiamq; indicat) uerū poſteri homines ad uoluptatem proni, nec quibuslibet contenti, laborioſiſsimā ſibijpſis uitam compararūt, dum undique uentri grata quærunt. Non enim intellexerunt utilitatem & commodum maluæ & aſphodeli, id eſt, frugalitatis. Voluptas autem in mundum cum alijs malis immiſſa eſt per Pandoram, de qua & Prometheo & Epimetheo longam fingit fabulam. Sed poëta noſter, ut omnes olim ethnici, ueri luminis expers, nec ſatis à Deo illuſtratus, Moſaicæq; ſcripturæ ignarus, quum tamen ſciret tanquā per ſomnium, poſt primam mūdi creationem felicisſimum humanæ uitæ ſtatū fuiſſe, eam paulatim uarios labores & ærumnas occupaſſe, fingit fabulam, qua iſtius rei bellam ſe rationem adferre arbitratur: fingit enim Prometheum offendiſſe Iouem, hinc mundo tantorū cauſa malorum, fabricatur Pandora, mittitur in terram, pyxidem adferens Epimetheo omni malorum genere refertam: quam quum ille aperuiſſet, ignarus alicuius doli, illa euolarunt, ac totam terram occuparunt. Habemus

fabulam

fabulam poëta dignam. Sed reuera Pandora nihil nobis nocuit. Eua nostra fuit Pandora: si enim illa nõ peccasset, aut ad peccatum per serpentem nõ inducta fuisset, adhuc hodie nobis cuncta nascerentur ἀνήροτα καὶ ἄσπαρτα.

πηδάλιον.) Catachresticôs, nam πηδάλιον proprie est clauus nauis, hic pro stiua ponitur, & stiua pro toto aratro: nam à parte totum intelligitur. Sic indicat primæ ætatis homines non arasse.

ὑπὲρ καπνοῦ καταθεῖο.) Solẽt rustici in nonnullis locis peracto opere instrumenta lignea collocare super fumosa laquearia, quo fumus ea corroboret & exploret. Sic in secũdo libro iubet ut gubernaculũ ratis sub hyemem ponatur ad fumum. Et Virgilius:

Et suspensa focis exploret robora fumus.

ἐν κοίλῳ νάρθηκι.) Narthex fruticis genus est, latine ferula. Ignum ferulis optime seruari, autor est Plinius lib. 13. cap. 22.

ἐγέλασε πατήρ.) Risit Iuppiter, sed risum planè Sardonium, in quo prouerbio uide Erasmum.

καλὸν εἶδος ἐπήρατον.) Græci multa epitheta apponunt uni substãtiuo sine cõnexu. Est autem hic repetendus infinitiuus ἐνθέμεν. Iussit ut imponeret pulchram & amabilem formam.

γυιοκόρους μελεδῶνας.) Eandem etymologiã habent epithetum et appellatio, utrunque enim dicitur à uorãdo, quod membra uorent & depascãt curæ, Horatius in Odis; Dissipat Euhyus

curas

curas uoraces. Bene dicit curas collatas esse à Venere: nam amor plenus angorum & solicitudinum.

Ἀργειφόντην.) Sic dicitur Mercurius, quod Argum Ius custodem occiderit, & sic nos uertimus. Didymus addit, illũ sic quoq; posse d ci, ἢ ἁγνὸς ἀπὸ τοῦ φόνου quod sit purus à cæde, nam Deus pacificus est. Aliud adfert Macrobius Saturna. llib. 1. cap. 19.

Ὧραι καλλίκομοι.) Horę deę sunt cœli ianitrices, ut Homerus bis in Iliade testat. Tres sunt, quarum nomina ponit Ang. Politian. in Rustico: Auricomæ iubare exorto de nubibus adsunt Horæ, quæ cœli portas atque atria seruant, Quas Ioue plena Themis nitido pulcherrima Edidit, Ireneq; Diceq; et mixta parẽti (partu Eunomie.

Αὐτὰρ ὁ ληξάμενος.) ὁ pro οὗτος. Vide prouerbiũ, Malo accepto stultus sapit.

Μούνη ἐλπίς.) Docet in medijs malis semper sperandum esse quod aliquando meliora contingere posśint. De spe autem, quod sola ex omnibus dijs uersetadhuc apud homines, optimos legimus apud Theognidẽ uersiculos, quos nõ grauabimur hic ascribere, & ex tẽpore uertere:

Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστι,
Ἄλλοι δ᾽ οὔλυμπον ἐκπρολιπόντες ἔβαν.
Ὤχετο μὲν πίστις μεγάλη θεὸς, ὤχετο δ᾽ ἀνδρῶν
Σωφροσύνη χάριτές τ᾽ ὦ φίλε γῆν ἔλιπον.
Ὅρκοι δ᾽ οὐκ ἔτι πίστοι ἐν ἀνθρώποισι δίκαιοι,

Οὐδὲ θεοὺς οὐδ' εἴς ἄζετ' ἀθανάτους. id est,

Spes homines inter uersatur sola deorum,
Nam petijt celsos cętera turba polos,
Cana fides abijt, perijt pudor, ipsaq; mentis
Sobrietas, Charites deseruere solum,
Nulla manēt homines inter nūc fœdera firma,
Non superest unus numina rite colens.

Σιγῇ ἐπεὶ φωνήν.) Verissime contra Hesiodum dicit Plutarchus in præceptis sanitatis, non omnes morbos solere tacite & furtim inuadere in ipsos homines, sed plurimi, καθάπερ προαγγέλους καὶ προδρόμους καὶ κήρυκας ἔχουσιν ἀπεψίας καὶ δυσκινησίας.

Ὡς ὁμόθεν γεγάασι.) Sequitur ætatū descriptio, qua mōstrat omnia fatis in peius ruere. In hac re imitatores habet Aratum, & Ouidium primo Metamorphoseôn.

Καρπὸν δ' ἔφερε.) Vergilius primo Georg. uertit hunc locum: Ipsaq; tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Ζείδωρος.) Elegans epitheton terræ, quod uitæ necessaria det. Sic etiam Venus dicitur φιλάρετος. Plinius uult sic terram dictam, quod zeam proferat: an bene, nescio.

Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι.) Tales forsitan facti sunt quos uocamus genios bonos, nam hos Græci δαίμονας uocant. Dicuntur autem δαίμονες, quasi δαήμονες, quod dij omnia sciant, ut Plato in Cratylo. Plura de etymologia Macrobius Saturnal. 1. cap. 23. Apud eundem hi uersus in Latinā linguam traducti leguntur:

Indige

Indigetes diui fato summi Iouis hi sunt, (tes
Quondã hoĩes, modo cũ superis humana tuẽ-
Largi ac munifici, ius regũ nunc quoq; nacti.

οὐδ' ἔρδειν.) ἔρδειν non raro apud Græcos capitur pro sacrificare, ut facere apud Latinos. Verg. Cũ faciam uitula pro frugibus. Sić usurpat & Cicero pro Archia.

Κακόχαρθος στυγερώπης.) Aptissima epitheta inuidię. Similia illi tribuit Ouidius 2. Metamorph.

Νῦν δ' αἶνον.) Quid αἶνος, explicat Erasmus in principio Chiliadum. Quintilianus libro quinto asserit fabularum primũ fuisse autorem Hesiodum, propter hunc accipitris & lusciniç apologum. Et multi audent affirmare, sequẽtes Quintilianum, apologos Aesopi nomine celebres, non esse Aesopi. Certe Cleodemus apud Plutarchum in cõuiuio septem sapientum, fatetur imitatione huius fabellæ Hesiodeç, Aesopum suas composuisse. Admonet autem superiores hoc apologo, ut temperent ab iniuria & uiolentia, nec inferiores se opprimant, quod omnium operum nostrorũ Dij testes sint, qui benefacta præmio, malefacta pœna compensant: tum quod nisi ad tempus prospero successu facinora utantur, tandem præualente iure & se uindicante.

Δίκη δ' ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει.) Aurea est sententia, & ad incutiendum facinorosis metum ualentissima. Fabius Maximus apud Liuium his uerbis eam effert: At ueritate laborare nimis ius

sępe aiunt, extingui nunquã. Simili modo de ueritate loquit diuus Hieronymus aduersus Pelagianos, imitans Liuium. Veritas (inquit) laborare potest, uinci non potest. Miror Erasmũ in prouerbio, Malo accepto stultus sapit, sic legere, Δίκη δ' ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει. & uertere, Tandem sua pœna nocentem Consequitur. Non ille germanus sensus est poëtę, sed hic, nempe interdũ quidem regnare uiolentiã, iustitia oppressa & calcata, sed id non impune, & nisi ad exiguũ tempus fieri, quum tandem iterum ἴσχει, id est, pręualet, & se fortiter uindicat iustitia. Hoc non antè credunt uecordes et malefico corde homines, quàm iam propter facinora supplicium experti sint. Sed non dubito, habuit Erasmus quem imitatus sit.

Οὐδ' ἐπὶ νηῶν νίσονται.) Putat non extremam esse felicitatem, si quis non opus habeat quærere uictum per mare. & Hercule sic est. Cæterum Hollandi nostri pro summa felicitate ac uoluptate ducunt natare per cærulea uada, adeò homines Salaminij sunt, longe disidentes à Baccho illo Aristophanico.

Καλλὸν ὕδωρ.) Hoc aduerbium elegantissime in Dialecticis suis explicat, perpetuũ Frisiæ nostrę decus Rodolphus Agricola, uir nimiũ præmatura morte studiosis ereptus, cuius mortẽ quod moderatius feram, facit Viglius Zuichemus, qui ita se ad illius æmulationem comparauit, ut uideatur quodammodo superaturus.

Certe

Certe quantum ad iuris ciuilis sapientiam, iam pridem Rodolphum longe antecessit. Horum me laudes obiter non tam celebrasse quàm leuiter perstrinxisse, lector candide, æqui boniq; accipe.

Τῆς ἀρετῆς προπάροιθεν.) Anastrophe est. Cōstrue, προπάροιθεν τῆς ἀρετῆς ἔθηκαν. & uide prouerbium, Difficilia quæ pulchra. Similem sententiam habet Euripides in Heracl. ἁ δ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων.

Πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.) Cum diuitiæ in omnibus rebus maximū pondus habeant, tum certe in hoc prosunt, quod præcedant ad uirtutem, paupertas facile ad malefaciendum inuitatur. Vnde Callimachus poëta, non uirtutem sine pecunia, nec pecuniam sine uirtute, sed utranq; simul à Ioue sibi dari optabat, quod inops non bene innocentiam suam tueri & custodire queat. Quare poëta noster uult ut quis sibi honesto labore cōparet diuitias: earum enim comites esse uirtutem & honorem.

Αἰδὼς οὐκ ἀγαθή.) Occupatio est, forsitan pudet laborare, sed hic pudor inutilis & noxius est.

Χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά.) Correctio est præcedentis uersus: nam non uult quenquā ita impudentem esse, ut audeat aperte raptorem agere. Laudat igit̄ θεόσδοτα χρήματα, quę nobis Deus confert, dum industrij sumus, & manum cum Minerua simul mouemus. Neminē enim ille dormitantem & oscitantē adiuuat, imò odio prosequitur, ut superius dixit poëta.

καδδύναμιν δ' ἔρδειν.) pro κατὰ δύναμιν. Primum è præpositione α abijcitur, deinde τ mutatur in δ. Explicat hunc uersum Socrates in Apophthegmatis.

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτο.) Magna commendatio uicinorum, adeò ut si boni sint, anteponere uideatur ipsis cognatis & affinibus. Verũ quod hic de boue dicitur, pertinet ad omnes partes rei familiaris, teste Columella libro primo, cap. 3. & eo sensu nos uertimus: Nihil igitur tuarum rerum facile interibit, si habeas uicinum bonum, qui statim in periculo succurrat. Vide prouerb. Aliquid mali propter uicinum malum. Rursus aliud, Ne bos quidem pereat.

Ὃς μὲν γάρ κεν ἀνὴρ ἐθέλων.) Vide quot habent Græci uoculas planè ociosas, quibus carmen farciunt, μὲν, γὰρ, κὲν, ῥα, νυ, δὲ, δὴ, τοί. Longe difficilius Latinũ agere poëtã, cui tales uoculæ desunt, & si infarciat nõ suo loco, ridetur. Sensus est huius loci, hilarem datorem & promptum, quoties aliquid dat de suo, semper aliquam latentẽ animi lætitiã inde percipere: contrà raptorem suo animo tormenta & cruciatus parare, licet sit uel minutissimum quod rapiat. Nam iuxta uulgare dictũ, Cõscientia mille testes. Et Seneca tragœdiographus: Tutum quis habuit nemo securum scelus.

Οἴκοι βέλτερον εἶναι.) Præstat domi habere quo indigeas, quàm foris quærere per uiciniam, si tu careas.

careas. Admonet diligentē patremfamilias, ut in tempore omnia neceſſaria domui ſuę proſpiciat. Nam iucundum eſt de præſenti cumulo ſumere, ut dicit ſequens uerſiculus.

Ἔργον ἐπ᾽ ἔργῳ ἐργάζεσθαι.) Concludit hunc librum commendatione laboris. Nota in fine poëtam ubiq; uſurpare infinitiuum pro imperatiuo, quod ſemel admonitum uolo.

ANNOTATIONVM IN HESIODVM FINIS.

NICOLAVS VALLA.

SI uacat Aenea rerum digniſsime præſul,
Grataq; ſunt animo carmina noſtra tuo,
Perlege quæ quondam dulci modulatus auena,
In Latios auſus uertere Græca modos,
Aſcræi inſpiciens ἡμέρας καὶ ἔργα poëtæ,
Græcia quo quondam floruit Heſiodo.
Hæc fuerant fateor plectro meliore canenda,
Hic opus ingenij quippe ſenilis erat:
At quia nonnullos tam magna ſuperbia uates
Eleuat, ut nulla Græca in honore putent,
Sum tamen hoc auſus bis ſeptem & quatuor annis,
Dum mea labuntur luſtra trahente dea.
Sumpſimus & tenueis Græcorum è fontibus hauſtus,
Mixtaq; cum Græca lingua Latina fuit.
Quicquid id eſt ad te uatum clariſsime uates
Mittimus, es Clario non minor ipſe deo.
Suſcipe, & Heſiodum placido complectere uultu,
Hic quoq; iudicio ſtetq; cadatq; tuo.

HESIODI ASCRAEI POETAE OPERA ET DIES, GEORGICON LIBER, NICOLAO VALLA INTERPRETE.



IERIDES *Musæ quarum ui*
get inclyta cantu
Fama ducum, & uestri nomen im
mortale parentis,
Dicite cur hominum pars hæc si
ne nomine uitam
Ducat? & illius cur fama æterna per altum
Euolet? hæc Iouis est magni diuina uoluntas.
Ille etenim altitonans summi regnator olympi,
Excitat imbelleis animos, & fortia corda
Debilitat, duce quo fortuna inimica superbos
Deprimit, atq; humileis clarum super æthera tollit.
Tum mala mens hominis meliorem inclinat ad usum,
Et capiunt molles crudelia pectora cultus.
Exaudi qui cuncta polo specularis ab alto,
Cui nihil ignotum est, sanctissima dirige iura
Iustitiæ, liceatq; mihi fraterna monere
Pectora, & ignotos uiuendi ostendere mores.
Sunt geminæ in terris quibus altercantur in unum
Mortales causæ, uaria quoq; mente trahuntur.

Vna quidem studium laudabile sedula curat,
Altera crudeli rerum depascitur haustu,
Bella cupit, pugnæq; exercet iniqua tumultus,
Inuisum atq; atrox pestis genus: hanc tamen ipsi
Mortales fugiunt, tandemq; uolentibus hanc Dijs
Exoptant, huius nequeunt cohibere furores.
Illam autem prius obscuræ genuere tenebræ,
Sed fato meliore pater Saturnius illam,
Et generi humano, & terræ radicibus imis
Imposuit, segnes artus & inertia corda
Excitat: alter enim segnis, cui uita manebat,
Alterius spectans cumulos, mora nulla, bouesq;
Iungit, & impresso terram diuertit aratro,
Siue domum curat, siue inserit, alter ad artes
Vicinum uicinus agit. laudabilis hæc est
Pugnandi ratio, fugienda sed altera, sub qua
Inuidet aut figulus figulo, uel egenus egeno,
Siue faber fabro, dulcisq; poëta poëtæ.
Hæc mea dicta precor toto cape pectore Perse,
Nec te crebra foro speculantem iurgia uulgi,
Auocet à studijs, pugnandi inimica uoluntas.
Nemo forum sequitur quem non fouet annua meßis,
Et bene clausa domi Cereris gratißima dona.
Hæc quærenda prius, dehinc si uacat i pete uulgus
Et fora, in alterius rebus certamina pone.

At non

At non illud ages iterum germane quod olim
Ausus es infelix,litem hanc data iura resoluent.
Scis quondam inter nos patria est partita facultas,
At tu nil iusta multum plus parte uereris
Tecum efferre rapax:corruptus munere iudex
Ille tuo est,sub quo tota hæc sententia pendet,
Ignarus:non nouit enim quàm dulcius,aut quàm
Sit melius toto medium,seu uiuere malua
Vtilius,quantum ulli seu uiuere porro.
Hos ueterum uictus occultauere superni,
Inq; polo retinent cœlestes, tempore quorum
Sat fuit una dies tenui exercenda labore,
Vna quiescenti tibi dehinc alimenta parabat
Annua,tunc poteras temonis robora fumo
Exploranda dare,& nulli iuga curua premebant
Terga boum,nullum muli sensere laborem.
Hos uoluit faciles uiuendi abscondere mores
Ira Iouis,quom se deceptum fraude Promethi
Sensit,& illius causa mortalibus auxit
Curarum moles,surreptumq; abdidit ignem.
Reddidit hunc iterum terris,curuaq; latentem
Surripuit ferula cauto puer ille tonanti
Iapetionides,iacto qui fulmine gaudet.
Lusit fraude sua,subitam tamen arsit in iram.
Hæc puer effatus nubis collector aquosæ,

Iapetionide cuius prudentia cunctos
Consilio excellit, magnum spreuisse tonantem
Arte tua, gaudesq; dato mortalibus igne,
Heu nociture tibi generi nociture futuro.
Tale mali genus excutiam quo pectore toto
Exultent homines, cupidi sua damna ministrent.
Subrisit fatus diuum pater atq; hominum rex
Vulcanum aspiciens, atq; illi talia mandat.
Vade celer speciem è terra, mixtoq; liquore
Confice mortalem cui uocem & robora iunge.
Sitq; ea uirgineæ cœlestis imago puellæ
Quam sibi quisq; uelit, dea quam doctissima Pallas
Instruat, & uarias percurrere pectine telas,
Adijciat capiti facilem Venus aurea formam,
Curet ut assidua stimulata cupidine corpus,
Fallacemq; addat mentem & fallacia uerba
Interpres superûm uictor Cyllenius Argi.
Dixerat, imperio Iouis annuit æqua uoluntas
Cœlicolum, extemplo fingis Vulcane puellam
Virginis ora deæ similem, quam glauca Minerua
Cinxit, & ex omni fulgentem parte poliuit.
Huic etiam Charites, etiam celeberrima Pitho
Aurea candenti posuere monilia collo,
Effusæq; comas ori de flore coronam
Vernali tribuere deæ. tamen Attica Pallas

Illam præcipuo formæ decorauit honore.
Et superûm interpres uictor Cyllenius Argi,
Fallacem attribuit mentem & fallacia uerba,
Sic pater altitonans diuino iusserat ore.
Quandoquidem dederat sua munera quisq; deorum,
Mercurius meritò Pandoram nomine dixit,
Exitiale malum mortalibus & fera pestis.
Postquam autem tantos confecit Iuppiter astus,
Mercurium ad magnum iubet ire Epimethea, dono
Cui ferat hanc, qui nil ueritus præcepta Promethi,
Scilicet à magno caperet ne inuitus olympo?
Cepit, & accepto nouit sua damna Epimetheus.
Nam prius humano generi secura manebant
Tempora, nulla mali species aut cura laboris
Morborumq; genus, tristem qui funeris atri
Corripuere uiam, quibus omnis frangitur ætas.
Viuere dulce fuit quondam, sed tegmen ab urna
Dum Pandora leuat, totum exiliere per orbem
Curarum infestæ effigies, spes sola remansit
Intus, & è labris ima sub parte resedit.
Obstitit impositum nam tegmen abire uolenti.
Sic qui fulmen agit nubis collector aquosæ
Iusserat, innumeræq; etiam mortale uagantur
Per genus infandæ species, quibus æquor & omnis
Terra infecta tumet, morbi noctesq; diesq;

Sponte

Sponte sua sine uoce ruunt, nanq; ab Ioue summo
Ablata est illis quæcunq; potentia fandi.
Sic impune parens offenditur ille deorum.
Si uacat ô frater, si non audire recusas,
Ordine plura canam. genus immortale creatum
Ac mortale simul credendum est, aurea primum
Secula Dij superi totum sparsere per orbem,
Tempore quo cœli imperium Saturnus habebat,
Tunc homines diuûm uiuebant more, neq; illos
Anxia curarum moles, operumq; labores
Lassabant, aberat tristi cum mente senectus,
Semper & in ualido regnabant corpore uires,
Nulla mali labes, conuiuia læta placebant.
Mors similis somno fuit, atq; uberrima tellus
Omnia liberius nullo cogente ferebat,
In commune bonum, nec quisquam inuidit habenti.
Quàm fœlix ætas? erat omnibus una uoluntas,
Et taciti lætos soluebant pectora in usus.
Aurea postquam hominum paulatim defuit ætas,
His pater altitonans meritos adiunxit honores,
Sub terris habitare dedit, qui numina facti,
Et genus humanum, sancte quoq; iura tuentur,
Iustitiæ tenebris circunfusiq; peragrant,
Terrarum fines & opes mortalibus augent.
Proxima successit terris argentea proles,

Auro

Auro deterior, sensuq; & moribus impar.
Tunc sibi quisq; suæ fecere sub ubera matris
Ocia mortales, paulatim adoleuit in annos
Ingenij rude principium, quo decolor ætas
In proprijs etiam laribus rude pectus agebat.
Aucta tamen postquam ad summos peruenerat annos
Viuendi breuius spacium fuit, anxius ardor
Curarum incumbens aderat, quas improba mentis
Gaudia fecerunt, alterna iniuria nunquam
Destitit, & nulla in superos reuerentia, nullos
Sacrorum ritus ætas argentea uidit.
Hanc deus extinxit meritam flammatus in iram.
Postquam hominum occuluit argentea secula tellus,
Non tamen illorum sine nomine uita recessit,
Sub terrisq; dei sedes coluere secundas.
Tertia post illam successit ænea proles,
At nihil argento similis, Dryadumq; creata
Sanguine, dura quidem, robustaq; pectora tendens,
Tota feri misero Martis feruebat amore.
Nulla quies illi, nullum ius, durior ætas
Ipso adamante fuit uultu metuenda superbi,
Cui nunquam inuictum robur, fortesq; lacerti
Defuerant humeris, tunc ærea tela, domusq;
Omnis in ære labor, non ferri emerserat usus.
Hæc autem proprio proles consumpta furore

Ad

Ad gelidi loca nigra Iouis sine honore receßit,
Et quanquam extiterit inuicto robore, ab atra
Morte tamen uicta est, solis lumenq; reliquit.
Postquā autē occulta est, atq; ænea corruit ætas,
Quarta fuit soboles melior, cui plurima toto
Iustitiæ hærebant animo præcepta uerendæ,
Diuinum genus Heroum, primumq; uocari
Semidei, immensos illi pa:uere per orbes.
Hos insanus amor Martis, belliq; nephandi
Ardor, Agenoridæ septem prope mœnia Cadmi
Oedipodæ imperij causa consumpsit. & alti
Hos maris undisoni fluctus, quom Pergama classes
Argolicæ peterent, ubi pallida mortis imago
Desuper incubuit, dum iusto ulciscitur ense
Tyndaris. hos etiam toto diuisit ab orbe
Iuppiter, & uitæ meliorem tradidit usum,
Elysiosq; dedit colles habitare profundi
Littus ad oceani, felix & sancta propago
Hic ubi uerna: humus, ubi dulcia poma quotannis
Ter gremio effundit nutrix uberrima tellus.
O utinam non me quin:a cum stirpe creassent
Fata, sed antè mori, seu pòst licuisset oriri.
Ferrea nunc ætas, quam curæ & mille labores
Nocte dieq; premunt, paulatimq; illius instant
Exitio; sic Dijs placitum, sed prospera tanto

Fata

Fata etiam uenient aliquando in turbine rerum,
Nec minus hæc infanda hominum delebitur ætas,
Cum matura annis illorum tempora cani
Inficient crines: natis nec ut antè parentes,
Nec patribus nati ſimiles, nec ab hoſpite tutus
Hoſpes erit, ſanctum corrumpent fœdus amici,
Et furet arma ciens inter diſcordia fratres.
Viuet honoris inops hominum properata ſenectus,
Nec pudor effractos ſenio obiurgare parentes.
Infelix ſoboles legem & præcepta deorum
Neſcit, & inualido non hæc alimenta parenti
Iuſta ſuo reddet. quid enim quod iniqua rapaces
Apparet uſq; manus, urbesq; & mœnia narrem
Alterna deleta manu? iurataq; fallent
Numina, Iuſtitiæ nulli tribuentur honores,
Pulſa gemet Bonitas: illum uenerabitur orbis
Cui mala mens ſuadet fera crimina: tota iacebit
Tota quidem orbato tecum Reuerentia uultu.
O dea Iuſtitiæ ſoboles, en improba lædet
Si probus ullus erit, quem contra inſurget iniqua
Voce furens factum affirmans, altrixq; malorum
Inuidia incedet fatali turbida uultu.
Protinus humanas ſedes Aſtræa relinquet,
Diua ſuos pariter tendet Reuerentia curſus
Ad ſuperos, nitido uelatæ corpus amictu.

Mille recedentes illæ mortalibus ægris
Non cessanda tamen rerum mala semina linquent.
At nunc te moneam, quanquam sapis omnia, iudex
His intende animum: sed quid iuuat ista monere?
Stultus maiori quicunq; resistere tentat,
Vincitur, & magno pœnas subit inde pudore.
Sic ego sum tanquam uolucris quam prenderit astur,
Prensaq; sublimes agitur philomela per auras.
Hæc dolet infœlix ungui transfixa recuruo,
Quam contra horribili raptor sic intonat ore:
Quid misera exclamas? te multo fortior astur
Te premit, huc adsis quo te meus egerit ardor,
Et quanquam bene suaue canas, mihi cœna futura es
Si lubet, aut dimissa iterum remeabis in auras.
Sic fatus, tacuit pennatus & impiger astur.
Tu modo iustitiam cole, nulla iniuria Perse
Tecum habitet, fatale gerit secum illa, nec illam
Vllus amat, nisi mens cui uilis & improba surgit.
Vir bonus hanc inferre timet: quod si intulit, acti
Pœnitet, & magno contristat corda dolore.
Est uia iustitiæ melior, qua uincitur omnis,
Omnis ad extremum ueniens iniurius ardor.
Quid dicam? quod nunquam aliquid dementia noscit,
Ni modo passa prius: sic qui male iura ministrat,
Peierat, & tandem dementi panditur error.

Eripe

Eripe iustitiam, corruptus munere iudex
Ius uiolat, dolet hæc, & nulli uisa per orbem
Tristis it, & lachrymans pœnam mortalibus orat,
Qui uiolant iura, & recti sacra fœdera rumpunt.
Verum ubi iustitiæ sancti seruantur honores,
Iudicioq́; pares & ciuis & aduena pendent,
Vrbs uiget, augetur soboles, pax læta uagatur,
Pax iuuenum nutrix, nunquam his fatalia bella
Præparat altitonans, nullis in rebus egestas
Imminet, in quenquam nulla est offensio, dulci
Quos iuuat interdum genio alleuiare labores,
Terra quibus large fundit sua semina, & altæ
Montibus innatæ mittunt sua munera quercus
Glandiferæ in summo: media tamen arbore mussant
Vndiq; apum ingentes acies, uestemq́; ministrant
Lanigeræ pecudes, per se magis omnia florent,
Non his externas merces uehit ardua puppis,
Omnia dat tellus. quid enim quod iuncta marito
Et patribus similes emittit fœmina partus?
Non datur hoc quibus illa placet uiolentia iuris,
Hos ad supplicium uocat alti cura tonantis.
Sæpe subit pœnas plebs tota miserrima tantum
Vnius ob noxam, pestis furit atra per urbem,
Et male suada fames, paulatim deficit omne
Vulgus, & hic uacuos ostendunt tecta penates,

Fœmina nulla parit. Sic sæuit Iuppiter erga
Quos malefacta iuuant, qui si modo fortè cruentum
Militiæ exercent studium, mora nulla sinistro
Martę cadunt: uel si potius iuuat ire per altum,
Fluctibus in medijs summergitur obruta puppis.
Vos igitur qui iura datis, conuertite mentem
Ad tales hominum pœnas, diuina potestas
Mortales circumuolitans uidet improba, quorum
Iudicia emergunt multorum in damna, deûmq;
Ignorant monitus, genus hi mortale pererrant
Innumeri, tenebris circumfusiq; tuentur,
Iustitiæ sacra iura domant, genus omne malorum.
Illa quidem uirgo est supero Ioue nata parente,
Nomine clara suo, cœtuq; uerenda deorum,
Quam si quis uiolet lachrymans sua fata parentis
It Iouis ante pedes, & lamentabile fundens
Humanos queritur mores, ac debita poscit
Supplicia in populos. tu iudex causa malorum.
Qui uiolas sacra iura deæ, iam dirige mentem,
Ius cole, in alterius te nulla pecunia uertat
Damna, nocet sibi qui cuiquam nocet, & male suadet
Ille sibi, in quenquam si quis male iura ministrat.
Cuncta uidet pater omnipotens, & quod mihi tecũ est
O iudex, modo si lubeat speculatur ab alto,
Nil latet hunc, aut hoc quales tribuantur honores
Iustitiæ

Iustitiæ in populo, quam non ego pectore toto
Nec mea progenies coleret, postquam orbe sub isto
Spreta iacet bonitas, & ius iniuria uincit,
Inuito Ioue ni fierent. hæc accipe frater,
Hæc animo meditare, iniustum pone furorem,
Ius quoq; frater ama, sine quo genus omne ferarum
Credimus alterno certatim corpore pasci.
At nos instituit uitæ melioris origo.
Iura dedit pater omnipotens, ea pectore toto
Si quis habet; decus æternum pia præmia reddet.
Iuppiter affligit si quis pro teste uocatus
Peierat, ac merito pensatur culpa nocentis
Supplicio: offendens ius, ille offenditur unà,
Ex quo obscura quidem nulli quoq; cognita surget
Posteritas. iusto de sanguine nata propago,
Clara caput tollet patrio seruata decore.
Hæc quoq; quæ referam stultißime concipe frater,
Quàm facile innumeras uitiorum amplectimur artes,
Haud procul illa habitant, breuis est uia qua sit eundũ.
Est uia uirtutis contraria, sudor anhelus
Hanc sequitur, quæ se scopulosis ardua cliuis
In longum prorumpit iter, riget aspera primo
Ingressu, leuis est postquam alta cacumina tanges.
Optimus hic sese qui nouit cuncta magistro,
Prospiciens rerum fines meliora sequutus.

Dignum laude uirum parentem recta monenti
Credimus: ille tamen sibi qui non consulit, aut qui
Alterius præcepta fugit, uir inutilis extat.
Ergo age frater ades generoso è sanguine Perse,
Neu fuge fraternos monitus, operare laborem,
Alma Ceres ornata caput sua dona ministret,
Sic tibi plena domus. segnem crudelis egestas
Opprimit, hunc homines odio superiq; sequuntur,
Torpenti similem fuco, cui spicula surgunt
Horrida, distensumq; fauis consumit edendo
Semen apum, piger ipse sedet, uitatq; laborem.
Tu modo curam operi quantum potes adijce frater,
Horrea sic rumpunt messes, sic copia rerum,
Sic pecus augetur, sic tu mortalibus & Dijs
Gratus eris: segnes animos & inertia corda
Oderunt: operi laus est imponere curam,
Turpe sed hinc prohibere manus: incumbe labori,
Forsitan ad studium torpentia pectora uertes,
Dum partas ostendis opes, uirtutis adeptus
Nomen & æternum laudis decus, utere quæso
Arte, para uictum, uiolare aliena nephandum est,
Fac superis æquandus eas, incumbe labori,
Nec pudeat, pudor hic multos inhonestus egentes
Secum habet, auget opes fiducia, qua melior res
A superis non it: proh rerum insana cupido,

Proh

Proh animis infusa lues, iam nulla pudoris
Cura, iacet paßim longe post terga relictus,
Tu coleris, duce te paulatim corruit ille.
Dijs inuisus homo cui mens intenta rapinis
Inuigilat, neq; enim semper felicia durant.
Nec minus omnipotens pœnis affligit eisdem
Qui seruum offendit, uel qui sanctißima frangit
Fœdera amicitiæ, seu qui cum coniuge fratris
Non pauet infandos coitus fraternus adulter,
Vel qui in pupillos audet uim ferre nephandam,
Vel qui in longæua confectum ætate parentem
Horribili uoce insurgit, uixq; abstinet illi
Verbera, non impune tamen stat pœna nocenti
Post obitum. Depone igitur tam falsa superbæ
Mentis consilia, & melioribus utere quæso.
Thure pio uenerare deos, ijs tempore in omni
Et mundè & purè liba cum clara nitescet
Sole dies, aut cum nox circunfusa tenebris
Abscondit terras. casto torrenda sub igne
Hostia mactetur, hymnos cane, thura ministra,
Vt tibi Dij faueant, immensaq; copia rerum
Hinc tibi nascatur, multis ut egentibus ipse
Subuenias, non ut uiuas germane rapina.
Conuiuas inter si uis discumbere amicus,
Non hostis, ueniat primum uicinia: nam si

Aduersi quicquam acciderit de more repente
Primum illa occurret, quæ si sine uestibus esset
Nuda etiam ueniet, quod nec tibi sanguine iunctus
Non aget, iste sibi uestes atq; omnia ponet.
Improba damnosa est uicinia, sed proba si sit,
Vtilis. hæc igitur cupienda est pectore toto
Tanquam laudis opus: neq; enim lamenta refundes,
Amisisse bouem, proba si uicinia tecum est.
Acceptum metire, & eodem pondere redde
Vicino tibi, ut hic iterum succurrat egenti.
Res male parta mala est, damnosáq; semper ab illa
Ergo caue: nec te uincant in amore sodales.
Illum adeas qui te, fac mutua munera reddas,
Sponte datum capias, scelus est letale rapina.
Quicunq; et si magnum aliquid largitur amico,
Lætatur: quicunq; iacit de fronte pudorem,
Et rapit alterius quanquam infima, turbat amici
Visceráq; & mentem cui uis illata rapinæ.
Adde parum paruo, paruo superadde pusillum,
Fiet & hoc magnum, infelix pelletur egestas,
Si modo rem cumules. hominem non lædit habere
Cuncta domi, nocet esse foris. quàm dulce bonumq;
Præsens accipere, atq; absente carere molestum est.
Tunc bene potandum cum plena effundit ab alto
Vina cadus: tunc parcus eris cum parte Lyeus

Defluit

Defluit è media: sed cum declinat ad imum,
Spumantes iterum cyathos & pocula sume.
Quicquid polliceare homini seruetur amico.
Si quicquam cum fratre tibi est, testem adijce rebus
Subridens: nocuit non credere, credere semper.
Né ue tuam alliciat meretrix caue fœmina mentem,
Rem totam uorat illa nimis dum blanda uidetur.
Heu quàm damnosum est mulieri fidere cuiquam.
Rem patris acceptam melius fouet unicus hæres,
Auget & hanc. at tu plures in morte relinque
Ex te ortos: nam plura pater Saturnius illis
Attribuet. sed te si cæcus tangit habendi
Ardor adhuc, fragilisq; placet tibi gloria rerum,
Hæc age quæ moneam, & uarios operare labores.

HESIODI ASCRAEI LIBER SECVNDVS DE AGRICVLTVRA.



VM cœlo emergunt sublimi ab Atlantide notæ
Pleiades, truncanda Ceres, morientib. illis
Mitte in aratra boues: latitare ea sydera (dicunt
Viginti totidemq; dies, annoq; uoluto
Apparent iterum, maturam incidere messem
Rursus & incipiunt dentata falce coloni.

Hanc legem agricolæ atq; habitantes littora seruant,
Aut qui pingue solum, uallosaq; tecta tenerent.
Nudus ara, nudusq; sere, & mete corpore nudo,
Si tempestiuos agrorum ducere cultus,
Augeriq; illos magnis successibus optas,
Neue aliena roges interdum pauper egenus.
Quod si ad nos supplex iterum fortasse redibis,
Non iterum dabimus, iuuat exercere labores
Improbe, quos inter mortales diua potestas
Sortita est, ne tristis inops cum coniuge mœsta,
Aut cum natorum misera comitante caterua
Victum à uicino rogites, dare negliget iste:
Bis uel ter fortasse dabit, dehinc si petis ultra,
Proficies nihil: at tu plurima uerba refundes,
Orabisq; iterum, frustra tamen. artibus ut te
Iampridem admonui inuigila, atq; incumbe labori,
Dira fames procul hinc abeat, tua debita solue.
In primis tibi conde domum, precioq; ministram
Dehinc eme, quam possis custodem adiungere bobus.
Pone domi quantum toto tibi sufficit anno,
In rebus spes est alienis irrita: nam si
Hic dare forte neget, tu semper pauper egebis.
Tempora labuntur, operum quoq; deficit usus.
Ad cras rem differre nocet: nunquã horrea nunquam
Implet iners aut qui tempus producit. habenda est

Cura

Cura operi, turgescet opus. mala mille molestant
Affliguntq́; hominem cui segne & inutile corpus.
Cum bene se posuit rapidi uis ignea Phœbi,
Ac pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Desilit in terras, & languida membra resumunt
Iampridem amissas æstiuo in tempore uires.
Nam breue sol hominum supra caput astat ab alto,
Ac de nocte magis currus exercet agendo.
Tunc operum multo antè memor discinde securi
Syluam incorruptam, tunc germina desinit arbos
Fundere, datq́; suas uolitare per aëra frondes.
In tres tende pedes mortaria, contineat tres
Pistillus cubitos, pedibus quoq; confice septem
Temonem, qui si fuerit protentus in octo,
Hinc tibi malleolus crebros formetur in ictus,
Palmarumq́; trium rota sit, uarijsq́; repone
Ligna efficta modis, ualidamq́; in montibus altis
Quære, uel effuso campi super æquore pinum
Aestiuam, compone manum qua firmet arator,
Temoni cuneis dentaliq́; alliget imo,
Torqueat & fortes illa durante iuuencos.
Binaq́; præterea tectis seruentur aratra,
Sic melius: nam si casu discinditur unum,
Restat adhuc aliud ualidos agitare iuuencos.
Temonem ex ulmo uiridi seu confice lauro.

Stiua

Stiua sit ex pino, dura dentalia quercu.
Duc in aratra bouem nono qui uiuat in anno,
Apta ætas operi matura est: franget aratrum
Bos iuuenis minitans iuuenili prælia cornu,
Et rixam exacuens opera imperfecta relinquet.
Quære quater decies annorum ætate bubulcum,
Quadrifidus panis & ofellas cæsus in octo
Sit cibus huic: recto sulcabit uomere terram
Si maturus erit: studium intermittet arandi
Iunior, aspiciensq; pares ætate colonos
Ibit ad hos, ludosq; ciet lasciua iuuentus.
Ergo non melior iuuenis, neq; semina uersæ
Spargere humi, quantum terræ mensura requirit.
Contemplare etiam quom grus è nubibus altis
Aßiduos agitat clangores, nunciat imbrem
Venturamq; hyemem, tempusq; indicit arandi.
Angit & illius mentem cui nulla boum spes.
Tunc redeant feßi plena ad præsepia tauri,
Tunc proprios operare boues & plaustra. sed inquis,
Non habeo, dabit hic: facile est petere atq; negare.
Mentis inops alius, quid enim componere currum
Tunc uolet, ignarus non nouit quantus in illo
Sit labor, & centum compagibus insita ligna
Quæ debent multo antè domi prouisa reponi.
Præterea cum tempus adest rescindere campum

Fortius insistas operi, exercere ministros,
Nam uertenda duplex tibi sicca atq; humida tellus.
Vere nouo ueniant celeres ad aratra iuuenci,
Fertilis ut grauida culmus procumbat arista,
Neu te decipiat cum semina colligit aestas.
Sit noua cui studeas tellus inarata quotannis,
Terra recens large natis alimenta parabit.
Plutonem in primis uenerare, atq; annua sacrae
Vota refer Cereri, quom stiuae innixus agendo
Incipis exercere boues, stimuloq; fatigas,
Sic immensa tibi surgent Cerealia dona.
Semina quom terrae committis ponè sequatur
Seruulus, atq; auibus rastro sata laeta recondat.
Optima crede iuuat rerum prudentia cunctos,
Laeditur aduerso qui negligit omnia fato.
Si sit pingue solum, grauidae inclinantur aristae,
Felicesq; operum successus ab Ioue summo
Hinc capies, neq; sub tectis extendat arachne
Fila, sed immensae replebunt horrea messes.
Tunc gaude, & cani florentia tempora ueris
Laetus agas, quom te incassum crudelis egestas
Aspicit, & parto turget domus, atq; aliena
Re tibi non opus est, tua pluribus adiumentum.
Fit sterilis tellus medio uersata sub aestu,
Hincq; solo residens imas falcabis aristas,

Auersos

Auersos religans culmos, tenuisq; sequetur
Spes uitæ, pauci te mirabuntur ab agris
Parua sub exiguo referentem farra canistro.
Difficile interdum mutabile noscere tempus.
Mobilis & uaria est alti natura tonantis.
Ac si tardus aras, tarde tibi solus aranti
Afferet auxilium: si largis imbribus æther
Tris noctes totidemq; dies non cessat ab alto,
Donec replerit ualidi uestigia tauri.
Tempore quo querna residens super arbore coccys
Exululat, gaudentq; hominum mortalia corda,
Vere sub aprico sit tardus forsitan eques,
Qui tempestiuo diuerrit uomere terram.
His intende animum, nec florida tempora ueris
Te lateant. glacialis hyems tibi cognita surgat,
In qua incumbendum est, nec te ulla taberna moretur,
Aut narrata loco sub aprico fabula tardet,
Dum frigent alij, uir rem tamen impiger auget.
Surge igitur nec te paupertas opprimat illo
Tempore, dira fames tenues facit esse lacertos,
Elatosq; pedes & crura tumentia multo
Sanguine. segnis inops & spe suspensus inani,
Inclinat mentem sceleri, & meditatur iniquos
Vnde paret uictus, hominem spes nutrit egentem
Irrita cui nihil est, & tota luce uagatur.

Dum

Dum media elapsa est æstas, properate ministri,
Condite dic casulas, nam semper non erit æstas.
A Iano mensem dictum caue, nubibus ille
Letales bobus glacies & frigora ducit.
Thracius insurgit boreas, & turbine facto
Disturbat maria ac campos syluamq; sonantem,
Alticomas quercus, annosaq; robora pinus
Diruit ex alto, & ualles iaculatur ad imas.
Syluarum auditur fragor undiq;, sed fera duros
Arrigit ipsa pilos, caudamq; in cruribus angit.
Quin etiam quibus est uillis densissima pellis,
Perforat ille quidem setosaq; pectora transit.
Nec se defendunt dura sub ueste iuuenci,
Et miseræ algescunt hirsuto crine capellæ.
Vincit ouis boream instantem, fultoq; repellit
Tegmine lanarum, sed non obsistitur illi
A senibus, curuo facit bos incedere collo.
Non tamen ad teneram penetrat boreale puellam
Frigus, at illa domi cui nondum nota libido
Matris apud charæ gremium sedet, atq; hyemales
Non sentit glacies, & tota nocte quiescit,
Atq; oleo teneros interdum perluit artus.
Tum polypo durum est gelidis habitare sub undis,
Nec uidet unde sibi uenetur in æquore prædam,
Alleuietq; famem, proprios tum deniq; in artus

Vertit

Vertit atrox rabiem immensam, sic imbribus atris
Turbatur mare, sic atra caligine cœlum.
Sol quoq; ad Aethiopas radios & lumina fundit,
Rarus apud Graios, fugiunt animalia curui
More senis, ualles imas & dente trementi
Concaua saxa petunt, nemorum tenebrosaq; tecta,
Tunc quoq; ne noceant hyemes tibi protegat artus
Mollis chlæna tuos, cui tecta ex ordine recto
Pauca, sed aduerso ducantur plurima fila,
Sitq; ea cruretenus, uetat hæc per corpora setas
Surgere, & instanti prohibet durescere uento.
Tegmina sint pedibus taurorum è pelle cothurni,
Nec nocet hos inflare pilis, ut frigora uincas.
Hœdorum teneras neruo bouis insue pelles,
Ac dorso suspende, tegant capita alta galeri
Ne madeant aures. borea spirante cauendum est
Frigoribus, tunc ros cœlo diffusus ab alto
Educat & Cererem sacros operumq; labores,
Ille quidem ui uentorum è fluuialibus undis
Tollitur in sublime, & matutinus in agros
Desilit, interdumq; expectat tempora noctis,
Interdum borea nubes agitante procellas
Vertitur in uentosam hyemem, fuge prouidus illam.
Acceleretur opus, pete tecta obstantia uentis,
Ne fortè obscuro nebularum infusus amictu

Imma-

Immadeas, largosq; imbres pluat humida uestis.
Pascua tunc carpant quamuis non pinguia tauri,
Quippe leuis labor & longa sub nocte quiescunt,
Nutrimentum ingens, uobis uberrima mando
Agricolæ, faciliq; dies transire labore.
Hæc seruanda tibi donec nox æqua diebus,
Atq; iterum satio committit semina terræ.
At dum sexdecies sol arduus occidit undis
Hybernum post solstitium, sacrosq; relinquens
Oceani fluctus sublimi Arcturus olympo
Exoritur, primumq; cupit splendescere sydus,
Tunc uites incide: noui neq; nuncia ueris
Antiquos iterans questus præcedat hirundo.
Dum tamen immensos effundit Pleïas æstus,
Prosiliensq; umbrosa petit plantaria limax
Tellure è sicca, tunc uinea nulla ligonem
Sentiat, accelerentq; uncata falce ministri
Maturam in segetem, nec te pulcherrima Tempe
Detineant segnem, matutiniq; sopores.
Eia age rumpe moras, pelle ocia segnia pelle,
Dum uocat alma Ceres, robustaq; collige farra,
Pone domi quantum toto tibi sufficit anno,
Mane operi assurgens, operis pars tertia mane
Conficitur. labor haud grauis est. de mane uiator
Longum linquit iter, taurosq; exercet arator.

H. *Præterea*

Præterea sua dum scolymus florentia mittit
Germina, & in ramis dulces resonare cicadæ
Sole sub ardenti incipiunt trepidantibus alis,
Fit capra tunc mollis, tunc sunt dulcißima uina,
Fœminaq; urenti Veneris prurigine corpus
Appetit insanos coitus, lassantur ab æstu
Membra uirûm, tantumq; potest uis ignea solis.
Tunc licet ardores gelida releuare sub umbra
Fontis ad apricos latices semperq; fluentis
Murmur aquæ, faciles quam circum leniter auræ
Aspirant, zephyris plerunq; agitantibus illas.
Hic hilares lætus cyathos & pocula sume
Biblina, ter infusa magis quæ temperet unda.
Hic tibi ab uberibus caprarum caseus adstet,
Quæ nullos pascant fœtus, hic lactea liba,
Hic tibi syluestris ponatur caro iuuencæ,
Quæ nondum enixa est: hic mollior hœdulus adsit,
Et iaceas saturus patula sub tegminis umbra.
Surge tamen cœlo dum fulget Orionis astrum,
Tempus adest, Cereri sacras terat area fruges
Ad uentos posita atq; ingenti æquata cylindro,
Nec nisi libratæ ducantur ad horrea messes.
Postquam autem satis ad uictum tibi contulit æstas,
Continuò cui nulla domus sit quære ministrum,
Adde etiam ancillam quæ sit sine prole, molestum est

Ac

Ac graue seruitium illius quam cura remordet
Natorum.blandire cani,panemq; ministra,
Peruigil ante fores sedet ille,domumq; tuetur
Dente rapax,furiq; altis latratibus instat.
His propere exactis,fœnum paleasq; reconde,
Hemionos quantum satis ac nutrire iuuencos.
Inde laboranti requies præbenda colono
Tempus,& exhaustis pariter iuga demere tauris.
Dum tamen in media cœli statione refulget
Sirius,Orionq; loco splendescit eodem,
Et rosea Arcturi cernit Pallantias astrum,
Tunc uuas tenero abscindens de corpore matrum,
Per bis quinq; dies tepido sub sole iacentes
Pande:dies etiam mollescant quinq; sub umbra,
Dehinc torque, & capiant uegetes iucunda Lyæi
Munera.sed sydus cum deficit Orionis,
Pleiadesq; Hyadesq; cadunt,meminisse iuuabit
Protinus impresso subuertere uomere terram.
Stát tempestiuo cuncta exercere labore.
Si tamen infestum iuuat ire per æquor,& alta
Puppe uehi,moneo ne quando ab Atlantide natas
Orion sequitur,totoq; excludit olympo,
Vt uideas illas medio submergere ponto,
Nauigio incumbas,mare tunc tollentibus euris
Obscurum undosos iaculatur ad æthera fluctus.

Tunc igitur iaceant religatæ ad littora puppes
Saxorum obnixæ obicibus, ne fortè ruentes
Discutiant uenti: pateat pars ima carinæ,
Ne pluuiam excipiens putri marcescat ab imbre.
Instrumenta domi naualiaq; arma quiescant
Pensa, gubernacliq; exploret robora fumus.
Interea Cereris sacros operare labores,
Nec prorsus fugiendus ager, labatur in altum
Aequor amica ratis dum non magis unda tumescit,
Nec refluunt uasti sublato gurgite montes,
Vadat onusta tamen censu reditura superbo.
Sic meus ille quidem genitor dum pauper egeret
Errabat maria alta secans, fluctusq; profundos.
Ille olim Aeolidam curuataq; littora linquens
Appulit huc, non spe lucri commotus auara,
Durum opus exercere inuisa urgebat egestas.
Ille uagus demum prope Tempe Heliconia sedem
Ascræam incoluit, cœli in regione molesta,
Frigore nunc nimio, nunc quæ intolerabilis æstu est.
Tempore quosq; suo iuuat exercere labores,
Nauigium ante omnes, cuius si te ulla remordet
Cura, placetq; altos sulcare per æquora fluctus,
Dum faciles spirant uenti & furor ille quieuit,
Ne te inuisa fames alieno uiuere parto
Cogat, & inuitus multorum debitor extes.

Vade nec in cymba, sed te uehat ardua puppis,
Ingentes referant census ingentia mercis
Pondera. præterea quæ sint aptißima nautis
Tempora narrandũ est, quãquã mihi parua per undas
Vita fuit, uixq; ex illa tantum Aulide cursus
Littus ad Euboeum, sub quo omnis Græcia quondam,
Dum pelago desæuit hyems conuenit in unum,
Et meritò infandos fatum iuratur in hostes.
Inde mihi placuit non longe ad Chalcida cursus,
Huc ubi magnanimum genus Amphidamantis Achiui
Constituunt populis certamina, & inclyta quondam
Munera defuncti ponunt in honore parentis.
Hic ego me dulcis referentem præmia cantus
Auratos memini tripodas, quos sponte dicaui
Musarum ante aras, quibus antra Heliconia curæ,
Illæ ubi me primum dulcem docuere poësim.
Tantum igitur mihi res naualis cognita surgit.
Dicam aliquid tamen, & uarios pandam ætheris usus,
Hæc etiam nobis aspirauere Camœnæ.
Aequora tuta legant instructo remige puppes,
Quom decies quinq; est series exacta dierum
Aestiuum post solstitium & iam deficit æstas:
Nam neq; tunc classes medio nec nauita ponto
Obruitur, ni fortè uelit Iouis alta potestas,
Aut deus ipsarumq; parens Neptunus aquarum,

Exitus omnis in his rerum manet exitus omnis.
At lenes spirant zephyri, tranquilla quiescunt
Aequora, tunc celerem uentis committe carinam.
Vadat onusta, tamen reditum properare memento,
Quàm prius ipsa nouos fundant uineta liquores,
Autumniq; imbres & hyems infausta procellis,
Aut Notus insurgat pluuia rorantibus alis,
Incumbatq; mari totumq; euoluat ab imo.
Exercent etiam studium nauale sub ipso
Vere nouo, quom se tam latas arbor ab alto
Induit in frondes, quantum uestigia cornix
Pandit humi depressa: silet tunc nabilis unda.
Ast ego nauigium graue tunc, semperq; molestum
Crediderim, hoc naturæ homines leuitate nephanda
Subtraxere, agitant diuersa pericula fluctus,
Et tamen ire placet, quanquam mors dura sub undis
Diuitiæ fiunt hominum, atq; insanus habendi
Ardor. ad hæc animum germane intende parumper,
Concipe fraternos monitus. maria alta secando
Fac tecum ne cuncta uehas, maiora reserua.
Nec nimis est oneranda ratis, sit ponderis æqui
Quicquid in hac, durum est aduerso occurrere fato,
Fluctibus in medijs currus discinditur omnis
Si grauius superinstat onus: seruare memento
Mensuram in rebus & idonea tempora ad usus.

Quom

Quom prope ter decies tibi uita elabitur annos
Connubium maturum aderit, decimumq́; puella
Exigat & quartum, sed quinto nubat: & illa
Virgo sit, atq; habitet prope te, cui sedulus astes,
Sedulus inspicias artemq́; usumq́; puellæ.
Hæc age, ludibrio ne te uicinia cantet.
Coniuge nil melius casta, nil turpius illa
Quæ uenerem prurit sine fine, & prostat ad omnes
Semper, & exitio superimminet illa uirorum.
Nemo etiam fratris in amore æquetur amicus:
At par si quis erit, sit amandus tempore in omni.
Nulla ex te incœptum fœdus discordia soluat.
Mentiri scelus est, præstat compescere linguam
Infandam. si uim tibi quisquam inferret amicus
Aut ore aut manibus, surge & te ulciscere, redde
Redde uicem duplicem. quod si illum pœnitet acti,
Ac pœnam implorans iterum te exoptat amicum,
Suscipe: uile quidem est homines noua quærere semper
Fœdera amicitiæ. multos si frater amabis
Non laudo, nullos etiam, medium sit in isto.
Si tibi corda tument, uultus non indicet iram.
Turpe sequi sceleratum hominem, maledicere cui
Infandum est qui iam uita laudatur honesta.
Nunquam à te nunquam misera obiurgetur egestas,
Diuinum donum est, diuûmq́; æterna uoluntas,

Illa quidem quæ sæpe uiri sublime molesta
Impedit ingeniumq; uetat super alta leuari.
Qui loquitur parcè, linguam nec in omnia soluit,
Thesaurum præ se gerit ille: ea gratia magna est
Vt linguam moderes, pensataq; uerba loquaris.
Si quenquam uerbo lædes, læderis & ipse.
Grata in amicorum uenias conuiuia sumptu
Communi, dato particulam, gratißima sunt hæc.
Aere Ioui uinum seu Dijs de mane cauendum est
Illauta libare manu, tum uota precando
Incassum fundes nulli exaudita deorum.
Solis ad aspectum nec quenquam mingere fas est,
Nocte sub obscura recto neq; corpore nudo,
Nox quia sacra deis media: nec credimus illud
Posse licere uia: si declinetur ab illa,
Esse etiam uetitum: diuus uir & omnia noscens,
Hærens parietibus sedet atq; exponit urinam
Intus, ubi orbatæ tenuis latet angulus aulæ.
Non coitu polluta sacros genitalia pandas
Ante ignes, neq; cum dulci tibi coniuge præstet
Concubium ut generes, dum mœsto à funere tristi
Mente redis, superûm sacra sed lætus ab ara.
Credimus inuisum superis semperq; molestum,
Qui natat aßiduo labentia flumina cursu,
Quin sit lota manus prius, & pia uota precesq;

Fuderit,

Fuderit, ante ipsas supplexq; orauerit undas.
Infandum ante aras ungues incidere, cum Dijs
Sancta facis: scelus est cyathos imponere uasi
In quo uina latent, sacros operare lebetas.
Nil tibi cum in sacris etiam hinc lauisse nefandum est.
Perfice tecta prius quàm cornix garrula ab alto
Nunciet atram hyemem, ruit hæc inimica procellis.
Fac sedeat bis sex quibus ætas exigit annos,
Aut totidem menses natorum chara propago,
Sede sub instabili, iuuat hoc omnemq; repellit
Segnitiem, facit esse agiles & ad omnia promptos.
Fœdum ac turpe uirum est thermis muliebribus uti,
Hoc prorsus fugiendum etiam, stat talibus atrum
Supplicium. ante aras superũ obiurgare nefandũ est,
Sacra ministeria ac diuinos spernere cultus.
Nec licet in fluuio neq; fontis mingere in unda.
Est quoq; turpe aliud uetitum. fuge pessima famæ
Nomina, fama malum facile in sublime leuatur.
Est graue sufferri nimium nimiumq; molestum,
Difficile ut taceat, nunquã delabitur illa
Sedula quæ uarias populi penetrauit ad aures.
Est dea fama quidem, sunt ipsi numina famæ.
SIt tibi præterea series seruanda dierum,
A Ioue natæ omnes, sunt à Ioue tempora nata.
Vltima mensis erit nullo exercenda labore,

At genio utendum est: illa omnes festa per urbes
Ducitur, illa forum claudit, neq; iura resoluit.
Prima dies sacra est, & quarta & septima: prima
Natus Apollo die radianti a lumina fudit.
Luce dein quarta felix ducenda sit uxor,
Omine captato sunt omnia prospera rebus,
Et licet incuruam trabibus componere nauim.
At quintas fuge, nanq; illarum pallidus Orcus,
Tum diræ Eumenidum facies toto orbe uagantur,
Castigant si qua in terris periuria falsum
Affirmant, quæ lis alterne agitata creauit.
Sexta dies tristem ostendit mulieribus ortum,
Læta uiris: multiq; etiam nascuntur in illa
Quîs mala mens, fallax animus, fallacia uerba,
Et qui concubia exercent arcana per artem.
Hac ouium foetus licitum castrare uel hœdos,
Et licet infixa pecudes circundare mandra.
Scindimus octaua foeto genitalia tauro,
Castramusq; sues, felix est ponere plantas.
Nona uiros gigni uel amica sorte puellas.
Luce uiris decima faustos quoq; credimus ortus,
Vnaq; post decimam felix incidere uites,
Et tempestiuam segeti supponere falcem.
Hoc curat bis sexta etiam felicior illa,
Stamina & ex alto tenuissima torquet arachne,

Ingen-

Ingentem accumulant formicæ farris aceruum,
Et iuuat arguto percurrere pectine telas.
Tunc quoq; syluestres licitum castrare iuuencos.
Tertia post decimam plantaribus optima surgit,
Spargere semen humi, pallet contraria semper.
Quartaq́; post decimam mulierum prospera natu,
Ac prensos domitare boues uulidosq́; labori
Hemionos canibus faciles adiungere cultus,
Ac lenire manu pecudiq́; imponere mores,
Atq; aperire cados, & dulcia fundere uina.
Sextaq́; post decimam plantaribus inuida surgit,
Opportuna uiros nasci, sed iniqua puellas
Aut nasci, aut thalamos petere, aut hærere maritis.
Septima post decimam Cereris terat hordea sacræ,
Ingentemq́; licet ferro discindere syluam,
Ac uarias aptare trabes, quibus ardua tecta
Moliri, ac structam possis agitare carinam.
Nonaq́; post decimam felix est cum Dea surgit
Lutea, sed medium cœli quom uenit in orbem
Fit grauis, ex media ad finem letissima fulget.
Proxima lux sapientem hominem diuina creandi
Insigni uiget officio, nec luce dolendum est.
Post illam quarta sacra est, ea læta trahantur
Gaudia. quinta dies post hanc iuga curua iuuencis
Ponit, & hemionos & colla exercet equorum,

Altaq;ueliuolas deducit ad æquora puppes,
Quam pauci nouere & recto nomine dicunt.
Sunt harum humano generi seruanda dierum
Tempora, quippe illud magnis succeßibus augent.
Sunt aliæ ancipitesq; tamen sine mente, neq; ullo
Officio excellunt, hanc alter laudat & illam,
At paucis natura illarum cognita surgit:
Nam nunc ipsa dies totum complectitur orbem
More piæ matris, sæuæ modo more nouercæ,
Nunc fulget, nunc atra latet. felixq; beatus
Ille quidem qui Dijs gratus, cui cognita sunt hæc,
Omniaq; inspiciens rerum se exercet ad usus.

HESIODI OPERVM ET DIERVM FINIS.

IACOBO SALVIATO
SVO S. D.



N Rusticum tibi, id illi scilicet ab argumento inditum nomen: tuo coactu prodit in uulgum, tibi est uni quicquid acciderit imputaturus. Iam'ne sentis quàm tibi tuendus sit, uel tuo ipsius nomine, uel meo? Tua enim fides in eo, meus honos agitur, cuius quidem etsi semper cura apud te iam inde à pueritia excubuit, tamen eum tueri nũc uel ob ipsum impẽsius debes, quod es nuper Laurentio Medici principi uiro, cuius ego cliens alumnusq́; sum, unus ex omni Florentina iuuentute gener ascitus. Profer igitur in tali patrocinio autoritatem omnem, atq; gratiam, quam uidelicet tibi, & uiri excellentis affinitas, & tua egregia indoles, morumq́; suauitas conciliant. Vale, meq́;, ut facis, ama.

ANGELI POLITIANI SYLVA, CVI TITVLVS RVSTICVS, IN POETAE HESIODI, VERGILIIQVE GEORGICON ENARRATIONE PRONVNCIATA.



VRIS opes saturi gnauoq; agitanda colono
Munera, & omniferæ sacrũ telluris honorem
Ludere septena gestit mea fistula canna,
Fistula Mantoæ quam nuper margine ripæ
Ipse renidenti dum dat mihi Tityrus ore,
Hac puer Ascræum repete, inquit, arundine carmen.
Pan ades, & curui mecum sub fornice saxi
Versibus indulge, medio dum Phœbus in axe est,
Dum gemit erepta uiduatus compare turtur,
Dum sua torquati recinunt dictata palumbes.
Hic resonat blando tibi pinus amata susurro,
Hic uaga coniferis insibilat aura cupreßis,
Hic scatebris salit & bullantibus incita uenis
Pura coloratos interstrepit unda lapillos.
Hic tua uicinus ludit lasciua sub umbris
Iandudum nostri captatrix carminis Echo.

Felix

Felix ille animi, diuisq; simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus,
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia uitæ,
Vrbe procul, uoti exiguus, sortemq; benignus
Ipse suam fouet, ac modico contentus aceruo.
Non spes corde auidas, non curam pascit inanem,
Securus quo sceptra cadant, cui dira minentur
Astra, & sanguinei iubar exitiale cometæ.
Non illum fragilis fauor, indocilisq; potenti
Plebs seruare fidem, euectum popularibus auris
Casuro imponit solio, nec ducit hiantem
Huc illuc uanos ostentans purpura fasces.
Non mentem pauet ipse suam, nec conscius omneis
Exhorret strepitus, nec edaci pectora culpa
Carpitur occulte, non opportunus iniqui
Iudicio uulgi, aut celsa conspectus in arce
Degeneri patet inuidiæ, non ipse uicißim
Obliquo liuore macet, fœtusq; ueneno
Aestuat, atq; aliena oculis bona limat acutis.
Rure agit in uacuo, spatijsq; indulget aperti
Aetheris, aut operi insudans, aut ille supinos
Euadens cursu in monteis: hinc scilicet omnes
Gratæ epulæ, nudis Acheloum in pocula palmis

Aduocat, excussæq; cibos dant brachia syluæ,
Et fessa in duro renouantur membra cubili.
Maior quippe uenit comitata labore uoluptas,
Nec satias dominam, aut fastidia lenta sequuntur.
Ergo neq; imbrifero pallens autumnus hiatu,
Nec malus hunc afflat rabioso Sirius astro,
Sæuáue Riphææ labefactant frigora brumæ,
Quippe hyemem excipere, & uentos, cœliq; ruinam
Suetum, atq; octipedem, nec opaco uertice cancrum,
Et Ioue sub gelido nocturnos carpere somnos,
Et pede concretas nudo calcare pruinas,
Et perferre sitim, & ieiunia soluere glande,
Et lassare feras cursu, & superare natatu
Torrentem, & uolucri fossam transmittere saltu,
Et quercum annosam ferro obturbare bipenni,
Tum prædam extorquere lupo, fasciq; maligno
Subiecisse humeros, & iniqui pondera rastri
Prædura tractare manu, & domitore lacerto
Sub iuga cornigeri colla obluctantia tauri
Ducere, & iratis concurrere cominus ursis.
Hinc agilis subit ora uigor, robustáq; magno
Pectore uis habitat, fortesq; animosa tuentur
Membra tori, & crudo tendunt se robore nerui.
Hinc facies procera, hinc fronti Martius horror.
Quod si bella uocent, quis ad aspera promptior arma?
Aut

Aut quis equum sternacem arctis fregisse lupatis
Acrior? aut fortem mucrone haurire cruorem?
Aut torquere sudem? aut neruo exturbare sagittam?
Aut præpilatis aciem perrumpere contis?
Quis certet duro agricolæ? seu ducere uallum,
Seu sit opus celso præcingier aggere castra,
Seu fronte aduersa tormentum figere ahenum,
Quod tonitru horrifico magna sternentia turres
Ardua fulmineo iaculetur saxa rotatu,
Seu uigil insomnem peragat custodia noctem,
Seu tacitum rapiatur iter, seu parcere parto
Conueniat, si fors lenta obsidione premantur.
Scilicet his Babylon dextris, Nabathæaq; regna
Creuerunt, hic Mopsopio delectus ab aruo
Miles, Achæmenium Marathonis in æquore Persem
Contudit. his adiuta uiris, se Romula tellus
Imposuit mundo, & rerum tractauit habenas.
Nunc age, quæ studia agricolis industria solers
Extudit, atq; operum quanta experientia, dicam.
Protinus extremo cum iam Boreas autumno
Incubuit terris, primo cum frigore tactæ
Labuntur frondes, maternaq; brachia linquunt,
Nec cariem cæsæ formidant robora syluæ,
Ecce sagax tacitam uenientis rusticus anni
Curam corde coquit, qua bubus ab arbore plaustrum

Dedolet, unde iuga, & curuum fabricetur aratrum.
Nec mora quin ueteris truncata cacumina fagi,
Chaoniæq; cadant quercus, nudataq; ramos
Vlmus, & audaci laurus sonet icta securi,
Quarum quæq; nouam fumo explorata calenti
Vertitur in faciem, diuersaq; munia tractant.
Continuò auditus gruis inter nubila clangor
Agricolam citat, & crista spectabilis alta
Auroram gallus uocat applaudentibus alis.
Excitat ille operum socios, simul horrida cautus
Terga rudi centone souet, capitiq; galerum
Induitur, crudusq; operit uestigia pero.
Hinc saturos iungens loris ad aratra iuuencos
Increpitat stimulo, & cantu minuente laborem
Prælongis ferrata terit dentalia sulcis,
Ac late elicibus collectos exprimit imbres,
Ieiunamq; fimo tellurem & rudere pascit.
Tum plenum farris læua seruante canistrum,
Semina dispensat parca cerealia dextra:
Quæ ne iacta auidæ populentur grana uolucres,
Et prædam sublime ferant, it ponè minutus
Sarcula parua tenens puer, & frugem obruit aruo.
At cum se Eois iam uespertinus ab undis
Extulit Arcturus, cum uersicoloribus ardet
Terra comis, rutilosq; interuiret herba colores,
Daulias

Daulias & Getici tandem secura mariti
Ales adest, plausuq; larem, cantuq; salutat.
Rursum inuadit opus, stiuaeq; innixus, adunco
Ponè nigrescentes proscindit dente nouales,
Quas rapidi soles urant, gelidaeq; pruinae.
Mox ubi iam sapiens coepit frondescere morus,
Antè quidem sapiens, nunc ambitiosa, nec ullum
Quae pariat pomum, sed serica pensa ministret,
Ille aliam atq; aliam culturam dulcis agelli
Pertentans, truncos plantariaq; infodit aruo,
Nec pictas lugubre fabas, nec pabula parcit
Veruacto mandare putri, glebasq; bicorni
Persequitur ferro, & secat insuperabile gramen,
Et montem caedit scrobibus, fortiq; bidente
Terga soli frangit, baccheaq; semina rectum
Explicat in quincuncem, & differit ordine longo,
Atq; iterum, atq; iterum terra capita ima frequentat,
Et ramos tondet falce, atq; impune fluentem
Compescit uitem fingens, & robore fulcit
Deciduam, charaeq; haerentem in pectore matris
Acclinat sobolem sulco, iuxtaq; propagat,
Aut ipso durus genitricis ab ubere flentis
Abscissam rapit, atq; aliò traducit alendam.
Quid dicam? externis cum se uernacula succis
Robora nobilitant, peregrinaq; segmina duri

Accipiunt trunci, aut discreto germina libro.
Nanq; oculis oculos, non blandi tempora ueris
Iungere, sed medijs gaudet feruoribus æstas,
Aestas congestos Cereris tritura maniplos,
Aestas absconsum siliqua excussura legumen,
Aestas qua grandes expectant horrea messes,
Dum coaceruatas euentilet area fruges.
Tum sola puluerei pinguescunt arida campi,
Soluunturq; putres glebæ, ac peritura lupini
Germina parturiunt, tum cliuo rauca sonantes
Eliciuntur aquæ, præcepsq; recumbit agro fons.
Post ubi iam medio uestigia librat in axe
Ensifer Orion, *croceoq; insignis amictu*
Aspicit Arcturum *pulsa* Pallantias *umbra,*
Sentibus horrenteis aperit iam uinea sepes,
Aureolamq; metit lentis de uitibus uuam
Vinitor, & fœtos rubicundo nectare fructus,
Quos coniunx, quos uirgo comes par uertice matri,
Aut cista exportant, aut rasilibus calathiscis:
Nec sentitur onus studio, leuat ipsa laborem
Sedulitas. quin frugiferos curuantia ramos
Poma sinu, baccasq; ferunt, ficumq; nucemq;.
Nec nihil addit hyems, nigros tum laurea fœtus
Exuitur, tum myrta legunt, glandemq; caducam,
Glaucaq; Palladiæ distringunt brachia syluæ.

Nocte autem ad lychnos, aut iunco texit acuto
Fiscellam, aut crates uirgis, aut uimine quallos
Rusticus, infinditq; faces & robora ualli,
Dolia quassa nouat, ferramentisq; repellit
Scabritiem, tritaq; docet splendescere cote.
Nam quid delitias memorem? quamq; alta labori
Ocia succedant? iam primum obsessa pruinis
Cum iuga floriferi regelauerit aura fauoni,
Suaue serenato rident uaga sydera cœlo,
Suaue ciet tardos per sudum luna iuuencos,
Ipsa quoq; ætherij melius nitet orbita fratris
Terq; quaterq; manu madidantes nectare crines
Exprimit, & glebas fœcundis roribus implet
Vecta Medusæo Titonia præpete coniux.
Alma nouum tellus uultu nitidissima germen
Fundit, & omnigenis ornat sua tempora gemmis.
Idalio pudibunda sinus rosa sanguine tingit,
Nigraq; non uno uiola est contenta colore,
Albet enim, rubet, & pallorem ducit amantum.
Vt sunt orta, cadunt, niue candidiora ligustra.
Nec longum durant calathos imitata parentis
Lilia, sed longum stant purpurei amaranthi.
Hic Salaminiaci scribunt sua nomina flores,
Hic gratum Cereri, plenumq; sopore papauer
Oscitat, hic inhiat sibimet Narcissus, at illic

Corycios alit aura crocos, notumq́; theatris
Aëra per tenerum flatu dispergit odorem.
Nec iam flameolæ conniuent lumina calthæ,
Nec melilotos abest, Tyrium seges illa ruborem
Induit: hic uiuo cespes se iactat in auro,
Hæ niueos, hæ cyaneos superare lapillos
Contendunt herbæ, uernantq́; micantia late
Gramina per tumulos, perq́; umbriferas conualles,
Perq́; amnis taciti ripas, atq; omnia rident,
Omnia luxuriant, & amica luce coruscant.
Parturiunt stipulæ frugem, & genitalibus auris
Peruia turgescunt lactentibus hordea culmis,
Palmes agit rupto lachrymantis cortice gemmas,
Seq́; rudes primis monstrant in uitibus uuæ,
Dulce uirent teneræ modo nata cacumina syluæ,
Succrescuntq́; piæ pullorum examina matri,
Ipsa sibi ignotas miratur adultera frondes
Arbor, & adscitis natiuas inserit umbras.
Auricomæ iubare exorto de nubibus adsunt
Horæ, quæ cœli portas atq; atria seruant,
Quas Ioue plena Themis, nitido pulcherrima partu
Edidit, Ireneq́;, Diceq́;, & mixta parenti
Eunomie, carpuntq́; recenteis pollice fœtus,
Quas inter Stygio remeans Proserpina regno
Comptior ad matrem properat, comes alma sorori
It Venus,

It Venus,& Venerem parui comitantur Amores,
Floraq; lasciuo parat oscula grata marito,
In medijs resoluta comas,nudata papillas,
Ludit,& alterno terram pede Gratia pulsat.
Vda choros agitat Nais,decurrit Oreas
Monte suo,linquunt faciles iuga celsa Napeæ.
Nec latitat sub fronde Dryas,non iubila Fauni
Fundere,non iunctis Satyri dare sibila cannis,
Nec querulæ cessant tenerum tinnire uolucres,
Fluctibus halcyone,densa philomela sub umbra,
Canus olor ripis,tecto uaga plorat hirundo,
Lene susurrat apis,plenoq; saporibus alueo
Candida multiforæ solidat fundamina ceræ.
Colludunt per prata greges,atq; omne beato
Flagrat amore nemus,iuuenem lasciua maritum
Fert equa,fert tergo salientem bucculа taurum,
Setigeræq; subant matres,decertat amator
Fronte aries,auidos olidum pecus accipit hircos.
Spectant innisi baculis,gaudentq; magistri.
Inde ubi prægnantes partu Lucina recenti
Soluit,ut exæquet numero fœtura parentes,
Ipse rudem,nec adhuc uestigia certa prementem,
Fert sobolem gremio,sed ouem gracilemúe capellam
Enisas humero subit,atq; in stramine molli
Componit sensim pastor,stabuloq; recondit.

Mox ut conualuere rubos hæc rupibus altis,
Illa recens campo gramen decerpit aprico.
Aut dulceis gelido delibant amne liquores,
Vt ſua concluſis ne deſint pocula natis,
Vtq; fluat plenis diues mulſura papillis.
Subrumi expectant hœdiq; agniq; petulci,
Cornigerasq; uocant tremulo clamore parenteis.
Bruta gregem plenum denſis alit uberibus ſus
Exporrecta ſolo, et grunnitu adlectat amico
Fellanteis, turpiq; luto ſe immunda uolutat.
Radices eadem calloſo auidiſſima roſtro
Eruit & bulbum, aut madida ſe pulte ſaginat.
Flet uitulum mœſta abſentem mugitibus altis
Mater, & immenſam raucis miſeranda querelis
Syluam implet, boat omne nemus, uallesq;, lacusq;.
Illa nigros late lucos, ſaltusq; peragrat
Crebra gemens, crebra ad montem, ſtabulumq; reuiſit.
Tabeſcens deſiderio. non ulla dolorem
Pabula, nec ſalicum frondes, nec gramina rore
Sparſa leuant, non quæ uiridi uaga flumina ripa
Perſpicuam tenui deducunt murmure lympham.
Prata tener perſultat equus, libatq; uolucri
Aequora ſumma fuga, aut alti ſubit aſpera montis
In iuga, ſaxoſumq; amnem pede plaudit inermi,
Cui pulchro micat acre caput, luduntq; decoræ.

Fronte

Fronte comæ, uibrant aures, atq; orbe nigranti
Prægrandes extant oculi, tum spiritus amplis
Naribus it feruens, stat ceruix ardua, qualem
Præfert Marmaricis metuenda leonibus ales,
Ales quæ uigili lucem uocat ore morantem.
Crescunt spissa toris, lateq; animosa patescunt
Pectora, consurguntq; humeri, & iam sessile tergū est,
Spinaq; depressos gemino subit ordine lumbos,
Et castigatum cohibent crassa ilia uentrem,
Funduntse lætæ clunes, subcrispaq; densis
Cauda riget setis, & luxuriantia crebræ
Velant colla iubæ, ac dextra ceruice uagantur.
Tum tereti substricta genu, mollißima flectit
Crura ferox, celsum ingrediens, fremituq; superbit:
Grande sonat tornata cauo breuis ungula cornu,
Ingenti referens corybantia cymbala pulsu.
O dulces pastoris opes, ô quanta beatum,
Quàm tenet hunc tranquilla quies? ut pectore toto
Lætitiam, totaq; fouet bona gaudia mente?
Nempe odij, fraudumq; expers, exemptus inani
Ambitione, uacansq; metu, spe liber, & insons,
Natiuo cultu, & gaza prædiues agresti.
Ipse sibi uiuit nullo sub teste, suoq;
Pendet ab arbitrio, suus ipse est censor, & alto
Calcat opes animo, ac regum deridet honores.

Si non Tænareis illi stant fulta columnis
Robora, cælatumq; alte laquearia subter
Ridet ebur, postem'ue silex asaroticus ornat,
Nec Maurusiacos pulchræ testudinis orbeis
Delphica sustentat, nec docto trita Myroni
Pocula multiplici florent radiantia gemma,
Aut bis in Herculea Milesia uellera concha
Versantur, tenuiq; satur lanugine bombyx
Luteolos follis, preciosaq; fila relinquit,
Textile nec tenero subtegmine fulgurat aurum,
Spiranteis referens uultus, quæ Pergamos olim
Artifici descripsit acu, quæ stamina Memphis,
Quæ Tyros & Babylon radio pinxere sonanti:
At iacet in molli proiectus cespite membra,
Quà cauus exesum pumex testudinat antrum,
Quáue susurranti crinem dat aquatica uento
Arbor, & aut calamos, aut fixa hastilia iungit
Cortice, statq; leui casa frondea nisa tigillo,
Quam metuant intrare pauor, curæq; sequaces,
Sub qua iucundos tranquillo pectore sensus
Nutrit, in abruptoq; fouet sua corpora somno,
Syluarum, & pecoris dominus, stant sedula circum
Turba canes, audaxq; lacon, acerq; molossus.
Dant ignem extritum silices, dant flumina nectar
Hausta manu, dat ager Cererem, non caseus aut lac,

Lucorum'ue dapes absunt, stat rupibus ilex
Mella ferens trunco, plenoq; cacumine glandem.
Illi sunt animo rupes, frondosaq; tesqua
Et specus, & gelidi fontes, & rosida tempe,
Vallesq;, zephyriq;, & carmina densa uolucrum.
Et Nymphæ, & Fauni, & capripedes Satyrisci,
Panq; rubens, & fronte cupreßifera Syluanus,
Sileniq; senes, subdiuallesq; Ithyphalli,
Et montana Pales, & quo pastore Pheræi
Gaudebant campi, & crinem resoluta Mimallon,
Et qui cornigera bicolores fronte corymbos,
Pampineamq; manu tenera quatit Euhyus hastam,
Semper amor, semper cantus & fistula cordi est,
Semper odorati Venerisq; stipendia flores,
Vitarumq; altrix urbi male nota uoluptas.
Talibus in studijs pastor molle exigit æuum.
Post ubi raucisonæ pinna uibrante cicadæ
Increpuere, ardensq; metentibus ingruit æstus,
Paulisper tum cessat opus, saxiq; sub umbra
Prostrati indulgent genio, non mollia pleno
Desunt uina cado, non lacti mixta polenta,
Aut pinguis tergum uitulæ, placidusq; sonoræ
Lapsus aquæ, crinemq; auræ frontemq; lacessunt.
Inde opus integrant, donec sub nocte coruscent
Flammigero paruæ stellantes clune uolucres.

Ecce

Ecce autem dulces labris pater ingerit uuas
Autumnus,crebræq; elisus uerbere plantæ
It per prælalatex,pueriq; examine denso
Exultant lasciua cohors circumq; supraq;,
Ille manu panda pronus bibit,alter ab ipso
Sugit musta lacu crepitantibus hausta labellis,
Hic sua suspensum resupinus in ora racemum
Exprimit,hic socij patulos irrorat hiatus,
Irriguumq; mero sordet mentumq; sinusq;,
Ebriaq; incertis titubant uestigia plantis.
Postquam acris successit hyems,& pendula tectis
Diriguit glacies,larga strue tollitur alte
Collucetq; focus,coëunt uicinia simplex
Vnà omnes,iuuenesq; probi,materq; seuera
Coniuge cum duro,& pueris,& uirgine grandi,
Conuigilantq; hilares,& primæ tempora noctis
Decerpunt,molli curas abigente Lyæo,
Mutuaq; inter se ludunt,tum tibia folle
Lasciuum sonat inflato,tum carmina cantant,
Carmina certatim cantant,tum tenta recusso
Tympana supplodūt baculo,et caua cymbala pulsant,
Et læti saltant,& tundunt æribus æra,
Et graue conspirat cornu tuba flexilis unco,
Conclamantq; altum unanimes,tolluntq; cachinnos.
Porrò autem quanta est differtæ copia uillæ?

Quamq; penu diues? neq; enim uel frugibus hornis
Horrea sufficiunt, uel odoro dolia musto,
Testaq; Palladijs iam non uacat ulla trapetis.
Terga suis pendent fumosa sordida tigno,
Pertica pensilibus oneratur longa racemis,
Non uuæ arentes, non pruna & carica desunt,
Soruaq; cum cerasis, duroq; putamine clausa
Persica nux, regumq; altas imitata coronas
Mespila, cumq; pyris miserorum munus amantum.
Iam laxum in rugas malum, decoctaq; ahenis
Defruta, et omphacinus liquor, es lachrymosa sinapis,
Et meditata nouos sicyonia bacca sapores,
Tum sapa, melq; recens, edulcatiq; lupini,
Et prunæ increpitans balanus, contextaq; cannis
Fiscina lacte madens, & durati sale fungi,
Annonam facilem uicinus suggerit hortus.
Murmur apricantes niuea dant turre columbi,
Expandunt alas, & amicam (blanda rogantes
Oscula) circumeunt, insertantq; oribus ora.
Iam uicibus nido incubitant genitrixq; paterq;,
Iamq; oua excudunt, natis q; implumibus escam
Commansam alternant, rostellaq; hiantia complent.
Adde gregem cortis, cristatarumq; uolucrum
Induperatores, laterum qui sydera pulsu
Explaudunt, uigiliq; citant Titana canore,

Et regnum sibi marte parant, quippe obuia rostris
Rostra ferunt, crebrisq; acuunt assultibus iras,
Ignescunt animis, & calcem calce repulsant
Infesto, aduersumq; affligunt pectore pectus.
Victor ouans cantu palmam testatur, & hosti
Insultans uicto, pauidum pede calcat iniquo.
Ille silet, latebrasq; petit, dominumq; superbum
Ferre gemit, comes it meritò plebs cætera regi,
Formoso regi, cui uertice purpurat alto
Fastigatus apex, dulciq; errore coruscæ
Splendescunt ceruice iubæ, perq; aurea colla
Perq; humeros it pulcher honos, palea ampla decenter
Albicat ex rutilo, atq; torosa in pectora pendet
Barbarum in morem, stat adunca cuspide rostrum,
Exiguum spatij rostrum, flagrantiq; tremendum
Raui oculi, niueasq; caput late explicat aureis,
Crura pilis hirsuta rigent, iuncturaq; nodo
Vix distante sedet, durus uestigia mucro
Armat, in immensum pinnæq;, hirtiq; lacerti
Protenti excurrunt, dupliciq; horrentia uallo
Falcatæ ad cœlum tolluntur acumina caudæ.
Ipse salax totam fœcundo semine gentem
Implet, & oblongo nunc terram scalpurit ungui
Rimaturq; cibos, nunc edita nubila uisu
Explorat cauto: non illum squamea tuto

Aggre-

Aggreditur ſerpens, non raptor ab æthere miluus.
Vocibus interea crebrum ſingultat acutis
Parturiens coniux, quæ ſcilicet oua ſubinde
Tollit anus, ſignatq; dies, uigilemq; lucernam
Conſulit, & lunæ creſcentis tempora ſeruans.
Vt primum gallina glocit numero impare ſubdit,
Verſatisq; diu ſolers auſcultat, an intus
Pipiat inuolucer pullus, tenerumq; putamen
Pertuderit molli roſtro, atq; erumpere tentet.
Parte alia biſtro plumoſam corpore meſſem
Nutrit, & in craſſa ſatur urinare lacuna
Anſer auet, ſtagnumq; ſuper pede remigat udo
Depictæ ceruicis anas, prolemq; natatum
Inuitans, nunc extat aquis, nunc mergitur alte.
Erigit explicitæ gemmata uolumina caudæ
Ambitioſus amans: at ficu & polline gliſcit
Pellaci cantu deceptus ab aucupe turdus.
Inſidit mutilo turtur, ſeſeq; ſaginans
Rauca gemit, dulcesq; miſer ſuſpirat amores.
Flet uiduus perdix, queritur peregrina coturnix
Incluſi caueis: hic cæca cuniculus antra
Excauat, hic ſepto prægnans lepus errat in amplo,
Capreoliq; hinnuliq;, & aduncis dentibus apri.
Hac ſtertunt glires, hac fœmina fœtat echinus,
Dædala ſomniferos peragunt examina bombos,

Plenaq;

Pleraq; captiuos seruant uiuaria pisces.
Scilicet his opibus placide sua corpora curant,
Dulciaq; inter se læti tellure magistra
Officia exercent, ut quæ neq; ferre recuset
Imperium, neq; non grandi mercede rependat
Si quà laborifero debentur farra colono.
Ille autem & uolucri petit ardua sydera mente,
Scrutaturq; sagax quæ sit sententia diuûm.
Quid quæq; emergēs, latitans'ue, oriens'ue, cadens'ue
Stella paret, quid quadruplici celer adferat annus
Cardine, quæ sulcis, quæ sint stata tempora messi,
Quidq; pecus uehat Olenium, qua grandine colleis
Trux nepa dilapidet, quo turbine surgat Orion,
Quos glomerent imbreis, aut pressus Arione Delphin,
Aut Pleas, Arcturusq; senex, Hyadesq; puellæ,
Vnde bibant herbæ diuini pocula lactis,
Cur rubigo satis, uredoq; uitibus obsit,
Quid nebulas abigat, tempestatesq; repellat,
Quod uento ingenium, quæ nubes causa serenet,
Quidq; silens moneat, quidq; intermenstrua Phœbe,
Vel cum plena meat, uel cum decrescere rursum
Incipit. Ille etiam numeros legesq; dierum
Prouidus obseruat: scit enim quid septima portet,
In qua nascentem excepit bona Delia fratrem.
Scit quoq; post decimam quid prima, quid altera luces
Iniungant

Iniungant operum, quocirca aut uellera lanæ
Demetit, aut grauido maturas mergite aristas,
Aut telam locat uxoris, nam pendula in ortu
Posteriore suos etiam net aranea casses.
Quæ sequitur bona uirgultis, inimica serendis (get,
Frugibus: ergo cauet quod obest, quodq; expedit ur-
Nouit enim quota connubijs, quota partubus obstet
Aspiret'ue dies, quota pinguem emasculet hœdum,
Septaq; circundet pecori, quota iungat amanteis,
Et clandestinos iubeat miscere susurros,
Qua ponat canis hirritum, malesuadaq; pectus
Cura nimis laceret, qua tristis oberret Erinnys
Nocte magis, secat ille suo sibi tempore lignum,
Dolia degustat, subigit iuga ferre iuuencum.
De flabris quoq;, de pluuia, dulciq; sereno,
Aut lunæ occasus, aut idem consulit ortus.
Tractat opus si pura micet, sin atra recedat,
Aut quinto directa die, aut medio orbe retusa,
Nec gracili cornu, aut triplici sit culta corona,
Tecta subit metuens hyemis: si rubra coruscet,
Tum uero expectat uentos, nec fallit eundem
Quo boream cornu, quo Cynthia prouocet austrum.
Consulit & Phœbi flammas, an grandinis augur
Palleat, an radijs monstret discordibus imbrem,
An præ se exoriens nubeis agat, an niger orbem

Circulus extremum claudens, qua rumpitur, acres
Carceris Aeolij moneat consurgere flatus.
Adnotat & coeli faciem, num stella sereno
Aethere lapsa cadat, rapidi prænuncia Cauri,
Conscia num subita semet caligine obumbrent
Astra, trahantq; hyemem: gemino Thaumantias arcu
Quid ferat, aut curto cum uix secat aëra gyro,
Et penè unicolor taurina fronte minatur.
Nunc præsepe oculis, nunc Bacchi spectat asellos,
Quiq; Noton cernit, quiq; est obuersus ad Arcton,
Fulgores, tonitrus, inspersaq; uellera cœlo,
Brumalemq; diem, & totum semel aspicit annum.
Necnon & nautis ruiturum in carbasa nimbum
Augurat, undisonum si fors mare surrigit ægon,
Canaq; conspergit sale saxa, & littora frangit,
Tunc & tristifico reboant montana fragore,
Et repetunt siccum mergi, atq; ex æquore clamant.
Ipsa uolans sublime auras, æthramq; lacessit
Ardea, colludunt fulicæ, plauduntq; gregatæ:
At lasciua lacus alis præstringit hirundo,
Et summas propè radit aquas, ranæq; coaxant.
Fusca gradu cornix lento metitur harenas,
Aut fluuium capite, & madida ceruice receptat,
Crocituq; graui pluuiam increpat usq; morantem.
Clangunt Naupliadæ uolucres, & peruia pinnis

Nubila

Nubila conscribunt, incertus in æquore Delphin
Difflat aquas, latrant corui, uocemq́; resorbent,
Progerit oua cauis patiens formica laborum,
Blanda canis terram pedibus scabit, ore lapillos
Tardigradus prendit cancer, seseq́; saburrat,
Atq; hæret ripæ, densum occinit improbulus mus,
Straminaq́; exculcat: quin centipedes scolopendræ
Parietibus reptant, aures pigra motat asella,
Dependent bullæ lychno, sitiensq́; cruoris
Musca redit, summosq́; proboscide mordicat artus,
Nec longe à tectis apis ingeniosa recedit,
Prunaq́; concretusq́; ima cinis hæret in olla,
Carboq́; pellucet: neq; non prænunciat Euros
Pluma natans, foliumue errans, pappiq́; uolantes,
Flammaq́; cum flectit, cum sese elidit, & ipsis
Vix sedet in stuppis, scintillamq́; excutit udam.
Vos quoq; pastores uentos horretis & imbres,
Cum temerè excursans pecus ampla in pascua fertur,
Cumq́; alacres ludunt agni, calceisq́; proteruos
Subsultim incutiunt inter se, & cornibus hærent,
Aut cum se è pastu ui, uix, ægreq́; reuellunt,
Cumq́; boues liquidi suspectant lumina cœli,
Olfactantq́; auras, & succos naribus udos
Crebra trahūt, dextrumq́; latus consternere gaudent,
Aut lingunt aduersa pilos, aut uespere sero

Mugitu ingenti redeunt, caulasq; fatigant,
Cum sibi non factos sus dißipat ore maniplos,
Cumq; antro lupus exululat, cumq; improbus idem,
Nec metuens hominum, propius consistit, & offert
Se mendicanti similem, ac loca culta pererrat.
Ergo in consilium maria aduocat, æthera, terras,
Naturamq; omnem, uiuitq; autoribus astris
Cura deûm agricola, atq; animo præscita recenset,
Et rerum euentus sensu præsagit acuto.
Hanc ô cœlicolæ magni concedite uitam,
Sic mihi delitias, sic blandimenta laborum,
Sic faciles date semper opes, hac (improba sunto
Vota) tenus, nunquam certe, nunquam illa precabor,
Splendeat ut rutilo frons inuidiosa galero,
Tergeminaq; grauis surgat mihi mitra corona.
Talia Fæsuleo lentus meditabar in antro
Rure suburbano Medicum, qua mons sacer urbem
Mæoniam, longiq; uolumina despicit Arni,
Qua bonus hospitium felix placidamq; quietem
Indulget Laurens, Laurens haud ultima Phœbi
Gloria, iactatis Laurens fida ancora Musis:
Qui si certa magis permiserit ocia nobis,
Afflabor maiore deo, nec iam ardua tantum
Sylua meas uoces, montanaq; saxa loquentur,
Sed tu (si qua fides) tu nostrum forsitan olim

O mea

O mea blanda altrix non aspernabere carmen,
Quamuis magnorum genitrix Florentia uatum,
Doctaq; me triplici recinet facundia lingua.

ANGELI POLITIANI SYLVAE, CVI TITVLVS EST RVSTICVS, FINIS.


PALMA BEB.